Q. D. B. V.

DISSETATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

ANODYNORVM VIRTVTIBVS VENENORVM

QVAM

PRAESIDE

CHRISTIANO GODOFREDO
STENTZELIO

ARTIS SALVTARIS AC PHILOSOPHIAE DOCTORE, CHIRVRGIAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO, PATHOLOGIAE PROFESSORE SVBSTITVTO H. T. FACVLTATIS MEDICAE PRO-DECANO

IN AVDITORIO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS
DIE SEPTEMBRIS XXII. A. MDCCXXXV.

PRO GRADV DOCTORIS

P. P.

GOTTLIEB AVGVSTVS MICHAEL
MARGLISSA-LVSATVS

VITEMBEMGAE
EX OFFICINA EICHSFELDIANA.



DE ANODYNORVM VIRTVTIBVS VENENORVM.

I.



Ebescit ac ſtupet, languente rigenteque corporis machina, ſenſus; languet ac riget, mente profundis abdita cogitationibus, corpus; offenditur, laeſis neruis, corruptoque, qui eosdem humectat, ſucco, memoria & quaeuis animae functio; perit omnis, ſanguine deprauato, illiusque motu ſufflaminato, animi corporisque uigor. Plures idem, quas ſeduli & genuini annotarunt medici, morborum mortisque hiſtoriae docent ac demonſtrant. Nec audit, nec uidet, nec alios motus organis impreſſos mens percipit, quando graui corpus affectum tetano, aut forti tactum apoplexia, magis cadauer, quam uiuum ſiſtit hominem. Immobilis inſtar trunci tota ſe habet humani machina corporis, ſi profundiores meditationes acerbioresue mentis commotiones ecſtaſin aut catalepſin accerſiuerunt. Vtriusque actiones generis, tam uoluntariae, quam

mechanicae, impedita ſanguinis circulatione, omnino ceſſant, uti in aegrotis aſphyxia decumbentibus obſeruamus. Cerebro compreſſo, obſtructo, inflammato, exulcerato, aut alia affecto ratione, non animi duntaxat ſed corporis quoque uires labem patiuntur. Haec, tot aegrotorum phrenitide, melancholia, mania, ſtupiditate, ſpaſmo, aliisque ſimilibus morbis laborantium exemplis confirmantur. Haec imprimis Schleidanus, inclutus ille hiſtoricus, expertus fuit, qui a tegula in caput delabente percuſſus, in tantam memoriae imbecillitatem incidit, ut ne proprii quidem nominis recordari potuerit. Haec etiam catalepticus ille apud BVCHANANVM,(a) habuit fata, qui in mediis ſcalis aſcendentium ſubito ſtupore correptus, ita gradibus adhaeſit, ut nec ulla ratione diuelli poſſet, & ſequentibus uiam praecluderet. Omnia iſta, quam amica inter mentem & corpus coniunctio, quam intimum inter has duas natura penitus diuerſas ſubſtantias commercium intercedat, abunde probant, non autem ſimul in apricum deducunt, quale adſit uinculum, animam, ſubſtantiam materiae expertem, cum corpore, machina artificioſiſſima, coniungens; abſtruſior adhuc atque in occulto plane haeret connexionis modus. Certiſſimum quidem, & tum rationi tum experientiae conuenientiſſimum, quod praecipuum huius commercii ſubſidium, ſanguinis circulatio, atque ab ea dependens liquidi neruei ſecretio, ſecretique ad partes motui ac ſenſui ſeruientes deriuatio conſtituat, haec autem, nec quale ſit uinculum, nec qualis uinculi ratio, ſatis euincunt. Nullo nihiloſecius philoſophi ac medici tempore defuerunt, qui perfacilem huius rei explicationem ac demonſtrationem iudicantes, in uarias abierunt partes, aliis alia ſubinde excogitantibus ac fingentibus, quae mentem cum corpore coniungere dicuntur, uincula. Ex horum numero ſunt, qui in mutua mentis corporisque actione ac paſſione, uinculum diuerſarum hominem conſtituentium ſubſtantiarum conſiſtere, autumant; uerum hic minime principium, multo minus modus ac ratio connexionis, ſed effectus potius,

(a) Lib. 6. Hiſtoriae Scoticae.

tius, a mente cum corpore arctius coniuncta resultans, indicatur. Nec illi rem acu tetigisse uidentur, qui spiritus, modo immateriales, modo materiales, modo utriusque participes substantiae, in scenam producunt, certum ab iisdem intimi, quod inter animae corporisque actiones obseruatur, commercii fundamentum arcessentes; nullus enim immaterialis, praeter rationalem animam, in homine spiritus datur; mediae spiritus naturae, est inane otiosi commentum ingenii; spiritus denique minus accommodate materialis dicitur, & si per eundem, succum, qui in corticali cerebri parte secretus per medullosam ad oblongatam profluens medullam neruos rigat, nutrit, atque in naturali statu tonoque conseruat, intelligimus, denuo modum, quo idem immaterialem cum materiali substantiam coniungere possit, ignoramus, omnisque scrupulus per motum tonicum, quem nonnulli ex medicis recentioribus, ad huius rei explicationem in subsidium uocant, haud remouetur, dum idem has duas discrepantes plane hominis partes non coniungat, sed ab iisdem coniunctis atque unitis demum proueniat ac dependeat. His omnibus ad amussim examinatis atque expensis, melius sane in enodanda hac tot inutilibus controuersiis implicata sententia consilium nemini suppeditare possum, quam, ut missa inani sterilique, de mentis corporisque uinculo, speculatione, ad ipsos effectus tam in sanis quam aegrotis euenientes hominibus, qui iam ab anima, iam a corpore, iam ab utraque parte simul affecta deriuandi sunt, attendendo, congruas exinde formans regulas, prosperae defensioni ualetudinis, ac discrepantium profligationi morborum, ea, qua decet, prudentia ac circumspectione, prospiciat.

II. Mens, si illius respicias essentiam, omnis expers passionis, nullis sua natura mutationibus obnoxia est, per actiones uero atque operationes, quas exercet, multorum particeps redditur incommodorum, ac neruorum succique illos rigantis ministerio, bona malaque cum corpore communicat, & uicissim, corpore affecto, afficitur. Hinc tanta illico in actionibus mentis

mutatio obſeruatur, quando humani fabrica corporis, diuinum opus, & diues artium, laeditur, & uel ſolidis uel fluidis partibus corruptis, bona illius diſpoſitio labefactatur; frigeſcunt certe, QVINTILIANO (b) teſte, impetus mentium, quos non explicant miniſteria membrorum. Ipſi itaque animi, cum CICERONE (c) pronuncio, magni refert, quali in corpore locati ſint. Quid mirum hinc, ſi cum humanae ſtatu machinae, mentis conſentiunt actiones? Quanta, quaeſo, mentis perturbatio, quam inconcinnae cogitationes, quanta in functionibus uehementia, et furor, concitatiorem perturbatumque ſanguinis in febribus continuis motum, uti phrenitis & paraphrenitis confirmat, comitantur? Quanta, ſanguine ſpirituoſis referto obrutoque particulis, uti ebrietatis conſtat exemplo, intellectus, memoriae, omniumque functionum deprauatio. Clarius adhuc horum documentum, nobis anodyna, & ſub his comprehenſa hypnotica & narcotica, diuerſaque illorum in humanis corporibus operatio, atque effectus, ſuppeditant, quae iam nimis irritando, iam contrahendo ſolida, nunc reſoluendo, nunc condenſando fluida, & dehinc modo celeriorem, modo tardiorem ſanguinis progreſſum inducendo, ac cerebrum neruoſique principium generis obſtruendo, aut premendo, corporis mentisque ſtuporem inducunt.

III. Omnia narcotica, optima, ſi eadem congrua ratione ac doſi adhibeamus, remedia eſſe, multiplici conſtat experientia, quaeuis ex aduerſo anodyna & hypnotica, ſi iisdem abutamur, peſſimorum more uenenorum, bonam corporis diſpoſitionem labefactare, res pariter notiſſima eſt, multisque funeſtis dudum confirmata experimentis. Maxime ſane, his in aprico poſitis, mirandum, quod plures inuenti fuerint, atque adhuc inueniantur medici, qui non erubeſcunt affirmare, ſe opiatis deſtitutos remediis, medici nomen atque officium nunquam deſideraturos. Verum enim uero, habet opium, habent alia remedia, quae de opii principiis participant, ſuas uirtutes, ſua emolu-

(b) Declamat. I. (c) Tuſculan. quaeſt. lib. I.

emolumenta, ſuas laudes, minime autem eadem promiſcue, panacearum inſtar, adhibere decet, cum hac methodo medendi utentes, rationalis dignitate medici omnino indigni ſint, nunquam curam morborum perfectam, ſed palliatiuam ſaltem, ubi mali reditus maiori metuendus impetu, inſtituendo. Summam hinc in humani ſalutem generis iniquitatem atque iniuriam committunt, qui opium atque ex illo parata remedia, pro certis, tutis ac ſpecificis anodynis & hypnoticis habentes, nepenthes Homero laudatum pronunciant, atque ad cuiusuis profligationem incommodi ſufficere putant. Qua quaeſo ratione, rationalium characterem & dignitatem medicorum tueri poteſtis, qui in tot & tam diſcrepantibus dolorum & uigiliarum cauſis, unum idemque remedium, tanquam ſufficiens, omnibusque accommodatum circumſtantiis, praeſcribentes, & commendantes, a ſana longiſſime ratione, arbitra bonorum malorumque, aberratis? Quot, adhibitis opiatis, auxilii & leuaminis loco, ſuffocatiuo correpti aſthmate, atrociſſimos atque intolerabiles fere pectoris, cordis, aliarumque partium dolores, opiatorum abuſui adſcribendos, tolerare coacti fuerunt? Quot, profligatis, per opiata, pedum, manuum, aliorumque artuum doloribus, internorum inflammatione uiſcerum correpti, grauibusque miſere excruciati ſymptomatibus derepente perierunt? Quot, ſufflaminatis, per intempeſtiuum laudani opiati uſum, excretionibus criticis, in epilepſiam, tetanum, apoplexiam inciderunt, praematura iisdem auocati morte? Quot, uenerea afflicti lue, ad opiata, dolores mitigandi ergo, tanquam ad ſacram anchoram, confugientes, corruptae ſecretionem materiae impediendo, cerebri obſtructioni, inflammationi, ac his ſuccedenti delirio, & conuulſionibus anſam dederunt? Eodem innitentes fundamento, ſpecificam atque uniuerſalem, quam multi tribuunt, opio, & ex eodem paratis remediis, uirtutem hypnoticam denegamus; uaria quippe peruigilii eſt origo, uariae ſunt eiusdem cauſae, quibus omnibus emendandis & remouendis, impares ſunt opiatorum uires. Et quo rationis aut experientiae ſuffragio, illud remedium pro

ſpecifico

ſpecifico hypnotico habere poſſum, quo ad totam drachmam aſſumto, perpetuae per totam noctem uigiliae, uti alio iam tractatu, (d) propoſitis probauimus exemplis, excitatae fuerunt?

IV. His pluribusque aliis commoti cauſis, rationale anodynorum, & ad haec, ſuo quodammodo iure, pertinentium hypnoticorum & narcoticorum, examen utile et neceſſarium duximus, eam de illorum uſu fouentes ſententiam, quod anodyna & hypnotica non niſi mitiora, eaque morborum origini ac materiae peccantis naturae accommodata, ſeligenda & praeſcribenda, narcotica uero, in dolore intolerabili, aliis auxiliis incaſſum adhibitis, parciſſima penitus quantitate, congruo tempore & uehiculo, ac conuenienti praeparata ac correcta modo, exhibenda ſint. In narcoticorum uſu, monet HEVRNIVS, (e) religioſe obſeruare debemus, primum, ut ſenſus tactus hebeſcat; ſecundo, ut narcoticum nihil noxae aut iniuriae relinquat in parte ab eius uſu; tertio, ut affectui conferat. Huic ſaluberrimo praecepto morem gerentes, in diuerſa diſcrepantium anodynorum principia, uariamque eorum in diuerſis operationem ſubiectis inquiramus, quo, iisdem perſpectis & demonſtratis, in quonam caſu, qua doſi, quo uehiculo, quo tempore, haec illaue, aut uſurpanda, aut omnino fugienda ſint, diſcamus. Sunt uero medicamenta, Graecis ἀνώδυνα dicta, quae dolorem, uel correcta ſublataque illius cauſa, uel eadem manente, impedita cerebri & neruorum actione & motu, dolorem, aut mitigant, aut penitus tollunt, aut illius perceptionem impediunt. Horum, ex BOERHAVII (f) mente, tres conſtituendae claſſes, in quarum prima, paregorica, in altera, hypnotica, in tertia, narcotica occurrunt. Remedia paregorica multis idem, quod anodyna denotant, atque a GALENO (g) etiam λυσίπονα & παυσί-

(d) Diatribe Graeco-Latin. de ſomno. cap. 19. p. 150. & 151. (e) Lib. 3. Method. ad Praxin. cap. 3. (f) tract. de uiribus medicamentorum. Claſſe IV. cap. 9. p. 338. (g) Lib. 2. de Simplic. Facultat. cap. 14.

παυσίπονα dicuntur, atque in paregorica per ſe & per accidens talia diſtinguuntur. Hypnotica, uero illa uocamus medicamenta, quae dolorem, dolorisque aufferunt perceptionem, conciliando ſomnum. Narcotica demum, non ſomnum ſaltem, ſed ſtuporem plane inducendo, nos doloris expertes reddunt.

V. Non unum eundemque haec diſcrepantis remedia naturae habent effectum, ſed idem uarius omnino per uariam corporum conſtitutionem redditur; his proſunt illa, illis haec nocent; emollientia aliis, aliis reſoluentia conueniunt; multis narcotica, optima & tutiſſima ſunt anodyna, multis econtra tutiſſima alias anodyna, ſtuporem ipſamque accerſunt mortem; his, cauſa doloris, anodyni munus remedii praeſtat, illis iterum, ſic dictum medicamentum anodynum, dolorem creat. Adeoque, cum certa, tuta, atque uniuerſalia anodyna & hypnotica, uti iam antecedentibus demonſtratum, adhuc deſiderentur, nec humana parari poſſint arte, & alia dehinc aliaque, multiplices dolorum cauſae, uaria partis affectae conſtitutio, diſcrepans turbati ſomni origo, ſubſidia anodyna & hypnotica poſtulent, diſtinctus de dolore & peruigilio, horumque cauſis, modoque & auxiliis, eadem, cum uniuerſi emolumento corporis, cito tutoque aufferendi, conceptus neceſſarius eſt.

VI. Per dolorem uero, incommodi neruoſas corporis noſtri partes afficientis perceptio intelligitur. Mens igitur, illam, quae neruis infertur, iniuriam, motu illo praeternaturali ad ſenſorium commune propagato, percipit. Perceptio hac ratione cum motu neruis impreſſo conueniens, diſcrepantem cauſae, dolorem excitantis, indolem indicat, ex qua perſpecta cognitaque, medicus prudens colligere & iudicare poteſt, quo, ad eandem delendam, opus ſit ſubſidio. Quod uero dolor, a laeſionis neruis illatae perceptione dependeat, docet omnis doloris, ſublata mentis cum corpore, per ſtuporem, amentiam ac ſomnum profundiorem, communicatione, abſentia. Ita plures aegroti epilepſia laborantes, licet quaeuis corporis membra, maxima ui atque impetu diſtrahantur ac contorqueantur, nul-

lum plane ex allegata cauſa ſentiunt dolorem, ad ſe uero redeuntes, reſtituto, quod inter mentem & corpus intercedit, commercio, ſitim, totius corporis languorem, aliaque percipiunt incommoda. Simili plane ratione illi, quos fortis prehendit apoplexia, nec admotam uertici ſartaginem candentem, nec applicata nuchae atque occipiti ueſicatoria, nec eum, quem uolatilia naribus, temporibus, aliisque illita affrictaque partibus, imprimunt motum, aduertunt. Claro exinde documento patet, quod remedia anodyna, palliatiuam doloris curam perficientia, *κατ' ἐξοχὴν* narcotica ſint dicenda, & ſub ſe omnia ea compleċtantur, quae, impedita cerebri neruorumque actione, motusque impreſſi ad mentem propagatione, ſtuporem atque *ἀναισθησίαν* inducendo, dolorem, manente illius cauſa, tollunt.

VII. Leuioris hac methodo iniuriae neruis illatae perceptio, grauiore, neruis omnino ſtupefactis, malo inducto, impeditur. Neruos enim, omnesque humani partes corporis cauis apertisque praeditas neruis, cuiusuis ſubiectum doloris conſtituere, omnes, quae dolorem producunt, cauſae, omnia, quae eundem comitantur ac ſequuntur, ſymptomata, & omnia denique, quae eundem leniunt atque aufferunt, remedia, confirmant. Multiplici uero ratione, atque a uariis diuerſae plane indolis rebus, nerui afficiuntur ac laeduntur. Iam doloris cauſa atque origo a uitalium abundantia humorum nimiaque uaſorum dilatatione atque irritatione dependet, uti pulſatorii exemplo doloris, in aegrotis plethora ac dyſcraſia bilioſa laborantibus, obſeruandi, conſtat, cui temperando et remouendo, abſtinentia, uenae ſectio, nitrata, ſeroſa et ſubacida, tanquam praeſtantiſſima et praeſentiſſimi anodyna effectus, conueniunt. Iam nerui, ſuccis gelatinoſis et laudabilibus deficientibus, nimis exſiccantur, contrahuntur, ac dolor, cum ſolidarum rigiditate partium, corpus excruciat, in quo rerum ſtatu, deperditorum reſtitutio humorum per facilis alimenta digeſtionis, largum ac defecatum ſuppeditantia chylum, externaque emollientia ac demulcentia, optima conſtituunt paregorica. Quid iam dicam de di-

uerſa

uerſa humorum ſale alcalino, muriatico, acido, ſulphureo, &c. ſcatentium acrimonia, diuerſaque hinc proueniente neruorum irritatione, uellicatione ac diſtractione, & his oppoſitis opponendiſque antidotis anodynis? Quid ignis, nimiuſque calor, quid impenſum frigus, quid uermes, quid humores extrauaſati, quid alia peregrina neruis incumbentia, quid nimia ſuccorum commotio, quid tardior eorum & difficilior progreſſus, aut penitus ſtagnatio, ſtagnantium reſolutio et putrefactio, quid contuſio, quid punctura, quid aliis excitata modis uulnera, in producendis multiplicis naturae doloribus praeſtent ualeantque, ac quam diſcrepantibus hic egeamus ſubſidiis anodynis, notiora ſunt, quam ut ulla explicatione illuſtrari debeant?

VIII. Et quis neſcit, quod res dolorem parientes, peruigilium quoque, indiuiduum doloris comitem, accerſant. Perraro hinc idiopathica occurrit agrypnia, ſed eadem maximam partem aliorum morborum, et imprimis dolorum ſymptoma eſt. Continuis autem quoſdam uigiliis, omnis expertes doloris, omnique alia corporis infirmitate liberos, ſolo detentos moerore, aut alia mentis irritatos perturbatione, uel turbato, per tumultum aliaque excitantia, ſomno, affligi, quotidianus rerum uſus diu docuit. Omnia enim iſta, quae fluxum liquidorum per neruos, neruorumque motum augent, agrypniae conſtituunt cauſas, cum uice uerſa, omnia iſta, quae neruorum tenſionem ſuccique neruos rigantis ſecretionem & motum minuunt, aut cohibent, uel ſomnum, uel ſtuporem inducendo, ſint atque euadant uel hypnotica, uel narcotica. Ea igitur duntaxat in tutorum atque accommodatorum claſſem hypnoticorum referenda ſunt, quae ſufficientes & pares ſubigendis & remouendis fortioris neruorum motus cauſis uires poſſident. Cauſae uero ſucci neruei neruorumque motum intendentes, multiplices ſunt, uariaque earum exiſtit origo, ſedes atque indoles. Nunc ſtrepitus curruum, equorum, aliiſque excitatus tumultus modis, continuam, continuato ſtimulo, neruorum tenſionem conſeruando, omnem excutiunt ſomnum. Nunc uentriculus largiore alimentorum copia refer-

tus, difficilis reſpirationis, incubi, turbatique plane ſomni auctor eſt. Iam alimenta potulentaue acriora, iam uiſcidiora, diuerſae cruditatibus naturae materiam fomitemque praebent, ac generata hinc cardialgia, paſſione colica, iliaca, diarrhoea, dyſenteria, inſomnes ducimus noctes. Iam inedia laboreque feſſos irritatus a propria limpha uentriculus, & hunc comitantia tormina, omnis ſomni expertes reddunt.

IX. Nulla hac ratione alimenta, nulla potulenta, nulla medicamenta, nullas ex reliquis, quas medici nonnaturales uocant, rebus, ſi uariam eorum naturam, uariumque, quo quiuis delectatur, utendi modum, attenta reſpicis mente, eaque cum diſcrepante tot hominum conſtitutione, diuerſo uitae genere, conſuetudine, ac conſuetudinis poteſtate confers, inuenies, quae non peraeque & in claſſem uenenorum, dolorem & peruigilium excitantium, & ſimul in catalogum antidotorum, his malis profligandis ſeruientium, ſint referenda. Ab acriorum & draſticorum abuſu purgantium atque emeticorum grauiſſimos uentris cruciatus generari, illiſque omnem auferri ſomnum, pluribus funeſtis conſtat experimentis, cum eadem remedia euacuantia, aegrotis ſuffarctu pulmonali, hydrope, aliiſque morbis ex pituitoſa prognatis dyſcraſia laborantibus exhibita, uiſcidarum ſaburram cruditatum, anxietatis & pertinacis cauſam peruigilii, remouendo, optima ſint anodyna & hypnotica. Ita idem quoque cum diuerſo, quem ſic dicta ſudorifera & bezoardica uolatilia, in uario diſcrepantium morborum ſtatu, praeſtant, effectu, comparatum eſt; ſi enim ab abundantis colluuie ſeri, relaxatis, diſtentis, preſſiſque nimium ſolidis, praeter alia incommoda, turbatus planeque impeditus ſomnus moleſtiam crearet, eadem tutiſſimum atque appropriatum anodynum & hypnoticum conſtituent, a quibus econtra, atrociorum concurſus ſymptomatum, & perpetuae cum delirio uigiliae excitantur, ſi eadem, praeſente nimia humorum reſolutione, tenuitate atque acrimonia, praeſcribens, nouum materiae peccanti fomitem ſuggeris; hic potius tibi ſeroſa, gelatinoſa, acida, ac nitrata,

ſcopo

ſcopo ſedandi dolores, procurandique ſomnum, commendata eſſe debent.

X. Nec alio in humana corpora modo, ueſicatoria, ſetacea, & cauteria operantur, remedia, dolorum & peruigilii ab humorum uiſcidorum congeſtione & ſtagnatione ortorum medelae dicata, quorum quippe liberum progreſſum, reſoluendo attenuandoque, reſtituunt; quibus adhuc addendum, quod interdum horum applicatione remediorum, minoris perceptio doloris, dolore atrociore excitato, impediatur partim, partim deſtructa nerui affecti actione, communicatio mentis cum corpore, intercepta motus dolorem cauſantis, ad commune, uti uocatur, ſenſorium, propagatione, tollatur. Ne igitur opinionibus uulgi abrepti in errores maxime pernicioſos & ſuperſtitiones pene aniles incidamus, omnibus huc pertinentibus bene conſultis exploratiſque, e re omnino eſſe iudico, exactum ſic dictorum anodynorum & hypnoticorum examen ea ſuſcipere methodo, ut tum ex eorum principiis, tum ex obſeruationibus clinicis perſpiciamus, quod nec uniuerſalia, nec ſpecifica proſtent hypnotica atque anodyna, & quod eadem, quae alias pro tutiſſimis anodynis & hypnoticis habentur, non ſemper, ſi eas, quas commendauimus, cautelas, negligamus, ſint tuta, & quod pernicioſiſſima uenena narcotica, non ſemper ſint pernicioſa.

XI. Cum uero ante omnia neceſſe ſit, ut conſtituta in anodyna interna externaque, eaque uel palliatiuum, uel perfectum praeſtantia auxilium, diſtinctione, ſingulorum ſeorſim uires, & effectus enodemus, primum eorum, quae pro paregoricis & hypnoticis habentur, catalogum ſuppeditabo, iiſque ſpecialem deinceps explicationem adiungam. Alia autem ab aliis allegantur paregorica, aliaque iterum hypnotica & narcotica recenſentur, aliaque anodyna, tanquam propria cuiuis affectui, ex PRAEVOTII (h) ſententia, commendantur. In claſſe paregoricorum, quae GIESWEINIVS (i) ſedatiua dicit, folia,

 flores,

(h) Mater. Med. p. 436. (i) Hodego Medico. lib. I. part. 3. tit. 3. p. 83.

flores, ſemina & radices, althaeae, anethi, bardanae, betonicae, ebuli, linariae, maluae, lactucae, endiuiae, portulacae, melilotti, mercurialis, ſambuci, uerbaſci, uiolariae, chamaemeli, croci, liliorum alborum, foenu graeci, ſeſami, urticae, amygdalas dulces, caricas, cataplaſma ex medulla panis albi in lacte cocti, decoctum althaeae cum capite, inteſtinis ac pedibus ueruecis, emplaſtrum de baccis lauri, de melilotto, mucilaginem ſeminis pſyllii, cydoniorum, oleum amygdalarum dulcium, liliorum alborum, opium, inuenimus. Plura ex citatis iam remediis, nobis in hypnoticorum perſcrutatione occupatis occurrunt, praeter ea uero, quae paregoricis annumerata fuerunt, a multis pro ſpecificis hypnoticis, folia, flores, ſemina & radices abſinthii, chaerefolii, cynogloſſae, hyoſcyami, mandragorae, naſturtii, nicotianae, nymphaeae, perſicorum, ſalicis, ſemperuiui, papaueris, roſarum, nux metella, nux moſchata, muſcus aboreus, & ex iiſdem parata infuſa, decocta, cataplaſmata, aquae, balſama, condita, conſeruae, electuaria, eſſentiae, emulſiones, epithemata, habentur. Ab hypnoticis ad narcotica tranſeuntes, multa iterum deprehendimus, quorum iam antecedentibus facta mentio, his uero adhuc ſequentia κατ' ἐξοχὴν narcotica dicta, nempe cicuta, dorycnium, cuminum ſilueſtre, ſolanum, umbilicus ueneris, Thea Chinenſis, flores liguſtri, oculi populi nigri, ſemina coriandri, lolii, baccae ſambuci, hyoſcyami, oleum amygdalarum amarum, buxi, aliaque ex adductis parata remedia, addenda ſunt.

XII. Quantum inter haec, quae antecedens caput tibi ſiſtit, remedia anodyna, diſcrimen intercedat, quanta ſit principiorum, quibus conſtant, ac uirium, quas exſerunt, differentia, nemini, niſi prima artis ſalutaris & rei herbariae fundamenta ignoranti ignotum eſſe poteſt. Quo igitur promiſſis ſatiſfiat, ad exactiorem notiorum & uſitatiorum anodynorum explicationem progrediens, ab eorum, quae ob uirtutem acria temperantem ſalia, neruoſque nimium tenſos & irritatos demulcentem, dictorum catalago remediorum annumerantur, inueſtigatione

tione atque inquisitione initium ducam. Huius loci sunt, quaeuis herbae, radices, semina, aliaque, quae triplex materiae medicae regnum suppeditat, simplicia, omniaque, quae in officinis, sub uariis nominibus, uariisque formulis, prostant, composita, nitrosis, serosis, oleosis, mucilaginosis, terreis, & acidis saturata particulis, sic dictae plantae & radices emollientes, semina refrigerantia, fructus gelatinosi, aliaque ad descriptorum indolem remediorum proxime accedentia. Inter eadem, *Lactucam*, si uirtutem anodynam & hypnoticam, quam illi ueteres tribuebant, respicis, famigeratissimam omnino praedicare potes. Lactuca a DIOSCORIDE (k) *ἐυςόμαχος, ὑποψύχουσα, ὑπνωτικὴ, κοιλίας μαλακτικὴ, γάλακτος κατασπαςικὴ*, uocatur. Auctor Γεωπονικῶν (l) lactucam, *ὑγρὸν καὶ ψυχρὸν λάχανον, πρὸς τὰς πυρώδεις φλεγμονὰς ἁρμόζον, ἄδιψον ἔδεσμα, καὶ ὑπνωτικὸν, καὶ γάλακτος προτρεπτικὸν* nuncupat, & paulo post: *ὕπνον ἐπιφέρει τοῖς μὲν ὑγιαίνουσιν ἐσθιομένη, τοῖς δὲ νοσοῦσιν ὑποτιθεμένη ἀγνοοῦσιν.* Eundem effectum succo lactucae, si fronti illinatur, adscribit: *καὶ ὁ χυλὸς δὲ ταύτης*, inquit, *ἐπιχριόμενος τῷ μετώπῳ τοῦ ἀῤῥώςου ὕπνον αὐτῷ ἐπάξει.* Maiores nostri lactucam, ultimo in coena loco, somnum promouendi fine, assumebant, qui mos recentioribus, de appetitu magis sollicitis, plane mutatus, sequenti, quam mouit, MARTIALIS, quaestioni ansam dedit: claudere, quae coenas lactuca solebat auorum, dic mihi, cur nostras inchoat illa dapes? Lactuca uero serosis, mucilaginosis & nitrosis abundans particulis, congruum utique anodynum & hypnoticum, in dolore ac peruigilio ab alcalina biliosaque sanguinis acrimonia, nimiaque solidorum rigiditate atque oscillatione ortis, constituit, & tum iusculum, in quo lactucae folia bullierunt, uel parata ex illius seminibus emulsio, aut confecta hinc epithemata

&

(k) Oper. quae apud Wechelium 1598. prodierunt lib. de mat med. 2. cap. 165. p. 145. (l) Lib. de re rustica, qui opera Ioannis Alexandri Brassicani, cum praefatione Grynaei, Basileae ab Oporino 1539. in lucem editus fuit. lib. 12. p. 333. et 334.

& pediluuia, exoptato ſucceſſu commendari ac praeſcribi poſſunt.

XIII. Quicquid autem lactuca hic praeſtat, deficientem limpham reſtaurando, acria ſubigendo, ſolida relaxando, effrenatum humorum motum compeſcendo, perficit. Vnde, propoſito iam inhaerentes axiomati, perſpicimus, lactucam, in cauſa dolorum & uigiliarum, ei, quam modo allegauimus, contraria, minus tutum eſſe paregoricum & hypnoticum, ſed in narcoticum degenerare uenenum. Plures exinde, qui legitimum lactucae uſum, atque in deſcripto morborum ſtatu emolumentum, a deteſtando, praeſente alia rerum facie, abuſu, illumque ſequente detrimento, diſtinguere neſciebant, crudum huius herbae ſuccum accuſantes, eundem uenenatum pronunciabant. Alii reliquas lactucae ſpecies excuſantes, omnem culpam in ſylueſtrem lactucam, opio ſimilem odore, quae hinc μηκώνιος θρίδαξ dicebatur, cum BRODAEO A STAPEL (m) coniiciendo, ueneni narcotici grauioris a remiſſiore diſtinctionem negligebant. Nam, uti per ſe ſatis patet, quod lactuca ſylueſtris, opiato, narcotici praſentiam ſulphuris, odore demonſtrans, longe maiorem & celeriorem in morbis & doloribus a dyſcraſia pituitoſa, ac ſolidorum laxitate atque atonia ortis perniciem afferat, quam lactuca hortenſis, ſuaui ac ſubdulci atmoſphaera unctuoſi abundantiam humoris indicans, ita ex ſanae principiis theoriae & quotidiano pathologiae medicae exercitio diſcimus, hortenſem quoque lactucam, dum nouum cauſae dolorum pabulum praebet, noxiam, imo delateriam quandoque eſſe. Quibus GIESWEINIVS (n) commotus, lactucam tum in ſedatiuorum & ſomniferorum, tum in narcoticorum catalogum retulit. Nec dubitat GALENVS (o) affirmare, quod ſucco lactucae tam facile

(m) in Commentario ad Theophraſti Ereſii hiſtoriam plantarum, quae 1644. Amſtelodami in fol. edita fuit, Lib. 7. cap. 4. p. 779.

(n) Hodeg. med. lib. 1. part. 3. tit. 37. p. 202. & lib. 2. part. 3. Sect. 2. artic. 1. p. 470.

(o) Lib. 3. de ſimplic. medic. facultat. cap. 18.

facile quis tolli possit, quam si papauer, aut cicutam assumserit, ἀλλ' οἷόν τε, scribit idem, ταῖς θριδακίναις ὑπάρχει· τρέφουσι γὰρ αὐταὶ τοὺς ἀνθρώπους ἐσθιόμεναι συμμέτρως, εἰ δὲ καὶ θλίψας αὐτὸν τὸν χυλὸν, καταῤῥοφήσειέ τις δαψιλῆ, τὸν αὐτὸν τρόπον τεθνήξεται, τοῖς τὸ κώνειον ἢ μηκώνειον προσενεγκαμένοις, ὡς οὖν ἡ θριδακίνη φθάσασα μὲν ἀποψύξαι τὴν καρδίαν ἀναιρεῖ, πεφθεῖσα δὲ τροφὴ γίνεται τοῦ ζώου. Dum uero lactuca, in senibus & phlegmaticae subiectis naturae, uiscidorum copiam humorum auget, maior in solidorum motu oritur languor, languet hinc sanguinis circulatio, languet ab eadem dependens secretio animalis, languent, ut paucis omnia complectar, quaeuis mentis corporisque functiones, & plane non mirandum, si ex huius herbae abusu, in descriptae hominibus aetatis ac constitutionis, coniugalis oritur atque augetur, impotentia, quam alias uim, lactucae in latitudinem se diffundenti, & a COLVMELLA (p) delineatae, Ibicus Pythagoricus in specie adscribit, atque eandem exinde eunuchum appellat, de quo sequentia, ATHENAEVS (q) annotata reliquit: Ἰβίκος θ' ὁ Πυθαγόρειος τὴν ἐκ γενέσεώς φησι θρίδακα πλατυφύλλον τετανὴν ἄκαυλον ὑπὸ μὲν τῶν Πυθαγορείων λέγεσθαι εὐνοῦχον, ὑπὸ δὲ τῶν γυναικῶν ἀςυτίδα, διουρητικοὺς γὰρ παρασκευάσει καὶ ἐκλύτους πρός τὰ ἀφροδίσια. Eadem fere uerba, de antaphrodisiaca lactucae uirtute, apud Γεωπονικῶν auctorem, (r) leguntur, qui tradens, θριδάκην συνουσίας ἀποτρέπειν, mox subiungit, quod eandem, Pythagoraei εὐνοῦχον, foeminae uero ἀςύδα, quia penis impediat erectionem, uocarint. Ex hoc quoque fundamento ἄςυτος γέρων, EVSTATHIO, senex nempe, qui ςύειν, hoc est, priapum intendere nequit, dicitur, quam impotentiam, lactucae abusu in sene auctam, pereleganter AMPHIS, (s) Poeta Atheniensis, sequentibus describit; ἐν ταῖς

C θριδακί-

(p) de Re Rustica lib. 11. cap. 3. (q) Dipnosopist. lib. 2. (r) lib. edit. & pag. cit. (s) in Comoedia, quae Alemus dicitur, & cum aliis huius Poetae fragmentis, in Grotii & Herrichii excerptis reperitur.

θριδακίναις ταῖς κάκιςʼ ἀπολλυμέναις, ἃς εἰ φάγοι τις ἐντὸς ἑξήκοντʼ ἐτῶν, ὁπότε γυναικὸς λαμβάνοι κοινωνίαν, στρέφοιθʼ ὅλην τὴν νύκτα, μηδέν τι πλέον, ὧν βούλεται, δρῶν, ἀντὶ τῆς ὑπουργίας τῇ χειρὶ τρίβων τὴν ἀναγκαῖαν τύχην. Antiqui hinc praeiudicio de ſpecificis remediorum ac uenenorum uiribus occupati occoecatique, tantopere lactucae uſum, antaphrodiſiacae metu uirulentiae perculſi, abhorrebant, ut perinde eſſe, exiſtimarent, ſiue quis uenenum proprie ita dictum, ſiue lactucam exhiberet. Cui religioni addictus Camelus, Auguſti Caeſaris archiater, diuo Auguſto lactucam, ipſi maxime ſalutarem, diſſuaſit denegauitque.

XIV. Tantum uero abeſt, ut lactuca, in omnibus peraeque ſubiectis, ueneri ſit impedimento, ut eandem potius, in ſiccioris & biliosae hominibus naturae, gelatinoſi conſeruationem & reſtaurationem humoris, qui praecipuam liquoris genitalis materiam conſtituit, promouendo, promoueat. Qua quoque ratione ueterum ſententia medicorum, de lactucae, uberiorem ſanguinis generationem adiuuantis, uirtute, explicanda eſt, quam GALENVS, (t) re non ſatis penſitata, acriter perſtringit, niſce uſus: αἷμα γὰρ αὐτήν φασι γεννᾶν, ἔνιοι δὲ οὐκ ἁπλῶς αἷμα λέγουσιν, ἀλλὰ πολὺ προστιθέατι, πολὺ γεννᾶν αἷμα λέγοντες τὴν θριδακίνην, ἀλλʼ οὗτοι κἂν εἰ φρονιμώτεροι, ἐγκαλοῦσι, μείζονά γε ψεύδονται τῶν ἑτέρων. Hanc lactucae, uberiori ſanguinis generationi ſeruientis, uirtutem, ſatis quidem bene agnouit, ſed non ſatis adaequate explicauit MERCVRIALIS, (u) eandem ab intenſioris correctione caloris hepati inhaerentis, ſcopo ſanguinis generationem promouendi, biliſque prouentum cohibendi, deducens, cum omnes hic lactuca uires, limpham reſtaurando partim, partim gelatinoſi colliquationem ſucci impediendo, perficiat. Diuus deſiderata deſcriptae uirtutis beneficia expertus fuit Auguſtus, qui lactucae uſu non impotens redditus, ſed hac, ex Muſae, Medici prudentis, conſilio, exhibita, mire

(t) Lib. 2. de alimentorum facultatibus. cap. 40. (u) Lib. 2. Variar. Lectionum cap. 10.

mire per somnum recreatus, atque in uiuis adhuc, teste PLINIO, (x) conseruatus fuit. Plures pariter noui aegrotos, quos pertinacior alui constipatio, sitis, phlogosis, hisque adiuncta agrypnia, siccioris effectus constitutionis, uexabant, qui solo lactucae, infusi forma adhibitae, usu, ab omni incommodo, nulla inducta genitalibus labe, liberati fuerunt. In hectica praecipue, & hanc comitante peruigilio, quod ingenue multiplici adductus experientia fateor, praesentissimae remedium uirtutis, lactuca est, modo tempestiue adhibeatur.

XV. Manifeste ergo patet, quod lactuca, modo tutum congruumque paregoricum & hynoticum sit remedium, modo dolori uigiliisque ansam ac materiam suppeditet, praesentia exasperando, & grauiora de nouo mala accersendo. Par esto iudicium de aliis medicamentis sedatiuis & somniferis, quae iisdem cum lactuca principiis instructa, easdem quoque possident uires, & pro adductarum ratione circumstantiarum, iam prosunt, iam iterum nocent. Ex hoc censu sunt uiolaria, endiuia, portulaca, flores uerbasci, maluae, semina quatuor frigida maiora minoraque, citrulli, melonum, cucurbitae, cucumeris, lactucae, scariolae, portulacae, plantaginis, quae maiore minoreque mucilaginosarum, serosarum & terrearum copia particularum praedita, salibus acribus implicandis, temperandis, praecipitandis, sedandoque, qui hinc ortus fuit, sanguinis orgasmo, conueniunt, & frequenter maximo cum fructu, in febribus continuis a uitalium colliquatione humorum prognatis, exhibentur. Horum, ex usu papaueris, emolumentorum Triptolemus particeps fuit redditus, qui languens atque iam in orci faucibus constitutus, accepto papauere cum lacte, a Cerere restitutus fuit, cuius testem se OVIDIVS (y) sistit, somnique, scribens, papauera causas dat tibi cum tepido lacte bibenda puer. Absit uero, ut hisce permotus credas, quod allegata remedia, imprimis paratae ex sic dictis seminibus frigidis emulsiones, tuta semper in cuiusuis con-

(x) Histor. Natural. edit. quae prodiit in fol. apud Frobenium Basileae 1554. lib. 19. cap. 8. p. 353. (y) Fastor. lib. 4.

tinuae medela febris, paregorica & hypnotica conſtituant medicamenta. Perſaepe enim febres continuae malignae, a ſanguinis condenſatione ac lentore, tardioreque, aut impedito prorſus per uaſa extrema progreſſu dependentes, difficili reſpiratione, maxima circa praecordia anxietate, perpetua inquietudine, ac pertinacibus moleſtae uigiliis, ingruunt; in tali uero rerum ſtatu, in tali doloris & peruigilii cauſa, nulli auctor ſuaſorque extiterim, emulſionem ex commemoratis ſeminibus confectam praeſcribendi, cum certa hinc certo ſit metuenda pernicies. Hic potius infuſa diluentia ex betonica, ueronica, Thea paranda, una cum temperatis reſoluentibus, qualia ſunt ſalia fixa, nitrata praecipue, tibi, huiuſmodi febrium curam ſuſcipienti, ſint commendata. Eandem medendi methodum, eademque ſubſidia, ſanae obtemperans rationi, pluribuſque de huius ſententiae certitudine experimentis informatus ac confirmatus, in exanthematicarum medela febrium, congrua ac proficua cenſeo; etenim, cum nihil magis petechiarum, purpurae, uariolarum, morbillorum aliorumque eruptionem exanthematum remoretur, quam tenax & uiſcidus extrema obſtruens uaſa humor, hinc per ſe iam manifeſtum eſt, quod quaeuis, quae uiſcido generando cumulandoque fauent, quale quid commemoratae praeſtant emulſiones, in curandis febribus exanthematicis, aliisque ab acido ac uiſcido prognatis, maxime pernicioſa ſint.

XVI. Ne autem haec, quae iam attuli, inanes ſubtilioris theoriae medicae ſpeculationes tibi uideantur, ad hiſtorias morborum, in quibus idem multoties obſeruaui, prouoco; uidi ita, quod ingenue fateor, aegrotos exanthematicis laborantes febribus, qui ſatis bene conſtituti, apparentibus iam per totam corporis ſuperficiem exanthematibus, quamprimum emulſionem ex citatis confectam ſeminibus aſſumſiſſent, illico de dyſpnoea, anxietate, mentiſque ac totius corporis perturbatione conqueſti fuerunt, ac derepente ſuffocatione, uel conuulſionibus exagitati perierunt. Eo grauiora uero incommoda, eoque certior pernicies ab huiuſmodi anodynorum & hypnoticorum abuſu expectanda, quo plures canali alimentorum inhaerent impuritates; unde,

unde, non in continuis ſaltem, ſed intermittentibus quoque febribus, ab allegatarum praeſcriptione emulſionum, peſſimam rerum faciem funeſtamque in deterius mutationem obſeruaui. Paucis abhinc menſibus, media ad aegrotum auocabar nocte, crebrioribusque, ut feſtinanter ad eundem, in mortis quippe agone conſtitutum, accederem, nunciis ſollicitabar; accedens, ac naturalis abſentiam caloris colorisque, reſpirationem anheloſam, pulſum celerem, debilem, atque aliorum grauiorum congeriem ſymptomatum aduertens, dum in antecedentia inquiro, atque infuſum Theae commendo, mox aegrotus nauſea, & huic ſuccedente uomitu corripiebatur, quo, copioſa materia alba ac uiſcida, inſtar lactis ſe habente, reiecta, liberior reddebatur reſpiratio, ac reliquis maximam partem diſparentibus incommodis, aegrotus iam ſibi iterum redditus, referebat, quod illico ex albae uſu potiunculae, quo nomine emulſionem hypnoticam inſigniebat, ipſi ab alio medico, ſomnum promouendi ergo, praeſcriptam, illa, quae enumeraui, incommoda, ſenſim ſenſimque cum huius emulſionis deglutitione aucta atque exaſperata, perceperit. Periculoſum hinc, cum SCHOLTZIO, (z) HOLLERIO, (a) HEVRNIO, (b) ac SENNERTO, (c) pronuncio, narcoticum exhibere, ſi uires ſunt exhauſtae, corpus ſordibus refertum, ac craſſi peccant humores.

XVII. Nec ratio, nec experimenta nobis deſunt certa, quibus tam ſalutarem, quam funeſtum nitratorum remediorum, quae iam antea laudauimus, in humanis corporibus effectum, demonſtrare poſſumus. Eadem certe, in quibuſuis doloribus ac uigiliis ab intenſiore impuritatum bilioſarum ac ſalino-alcalinarum acrimonia ac copia, obortis, tutiſſima, atque optima ſunt remedia ſedatiua ac ſomnifera; & praeſentiſſimam huiuſmodi aegrotis afferunt opem. Nihil econtra boni ab iiſdem ſperandum medicamentis, ſi doloris ac peruigilii cauſa ab acido uiſcidoque dependeat, quia nitrum acido ſaturatum, praeſentem fouendo

(z) Epiſtol. Medic. 55. (a) de Mat. Chirurg. lib. 3. cap. 3. (b) lib. 3. Method. ad praxin cap. 13. (c) Lib. 3. Prax. Part. 2. Sect. 2. cap. 2.

augendoque materiam peccantem, omnia reddit deteriora. En! quam incerto lubricoque, ſententia de ſpecificis anodynorum atque hypnoticorum uiribus, fundamento nitatur.

XIIX. Prouti uero ex his clarum perſpicuumque redditur, quod remedia, quae alias pro tutiſſimis habentur anodynis, perniciosa abuſu fiant uenena, ita iam Chinenſis exemplo Theae nullus euincere dubito, quod narcotica uenena congruae ſubſidio praeparationis, conuenienti adhibita quantitate ac tempore, tuta atque accommodata euadant remedia paregorica. Herbam, quae ex Japonia Chinaque, nomine Theae, ad nos aſportatur, ac cuius, forma infuſi, uſus, nobis maxime familiaris eſt, narcoticam eſſe, narcoticisque adnumerandam uenenis, multis mirum uidebitur, ſed explicatis Theae, quae in patrio obtinet ſolo, principiis ac uiribus, clarius huius aſſerti ueritatem agnoſcent. Foliis enim Theae recentibus, teſte autopta KAEMPFERO, (d) maligna quaedam uis atque inimica cerebro uirulentia ineſt, quae neruei indolem motumque ſucci peruertendo, ebrietatem mentisque alienationem, ac tremulum neruorum motum, narcoticorum more uenenorum, inducit. Abundant recentia huius herbae folia ſale uolatili atque oleo narcotico penetrantiore, quae nimis irritando ſolida, diſſoluendoque fluida, gelatinoſam exhauriunt & diſſipant limpham, relicta maſſa acri ac pituitoſa, efficiente multorum morborum cauſa. De his, Chinenſes Iaponesque, uſu huius herbae, certiores redditi, nunquam recentem crudamque, ſed ſufficienti extractione, toſtione, moraque temporis correctam, in uſum uocant. Citato legimus auctore, (e) quod nemo Iaponum, Theam, niſi rite praeparatam, ac per anni ſpatium, poſt praeparationem, reconditam, eamque, addita aequali uetuſtioris Theae parte, mitigatam, adhibeat. Narcotici autem Theae inhaerentis correctio ueneni ſequenti peragitur modo: folia illius, ſi teneriora ſint, feruenti immerguntur aquae, immerſa extrahuntur, extracta in craſſiori

ſuper

(d) Amoenitat. Exotic. quae in quarto Lemgouiae 1712. prodierunt, faſciculo 3. obſ. 13. §. 3. p. 611. (e) Kaempffero Amoen. exot. faſcic. 3. obſ. 13. §. 10. p. 626.

ſuper prunas expanſa charta ſiccantur, ſiccata uſui ſeruantur. Maiora uero folia in candentem, cui ignis ſuppoſitus eſt, ſartaginem immittuntur, & huc atque illuc cum ſartagine, utraque conſtanter manu aequaliter uerſantur, ut omnia aequalem toſtionis gradum experiantur. Eadem deinceps, ſufficienti peracta toſtione, exemta, utraque miniſtrorum manu conuoluuntur, conuoluta, appropriatis per anni ſpatium uaſis, aſſeruantur, ac demum infuſi uſurpata forma, remedium tonicum, lene reſoluens, ac diluens conſtituunt. Ex his utilitatem conſilii, quod circa narcoticorum uſum ſuppeditat HOLLERIVS, (f) cognoſcere poſſumus, haec praecipiens: meminiſſe oportet, nunquam utendum eſſe narcoticis recens paratis, ſed ſemeſtre ſpatium eſſe expectandum, aut eo plus.

XIX. Haec nos ulterius, eruta iam perſpectaque Chinenſis Theae natura ac uirtute, ad cognitionem manifeſti erroris illorum medicorum deducunt, qui cum citata herba exotica ueronicam, betonicam, myrtum brabanticam, aliasque ſimiles herbas comparant, illique ſubſtituendas iudicant. Iure certe meritoque eos laudatus KAEMPFERVS (g) irridet ac perſtringit, indicans, maximum inter illas herbas & Theam Chinenſem, ſi principia ac uires reſpiciamus, intercedere diſcrimen, ac citatarum loco plantarum, eas potius eſſe adhibendas, eaque, ut Thea, ratione, praeparandas, quae nobis narcotici praeſentia ueneni exoſae male audiunt. His adhuc addendum, quod ſaturatioris deglutitio Theae, Chinenſibus, nimiae, quam exinde uerentur, metu ſiccitatis & tabis, ſit infeſta, & quod ex hac ratione, infuſo theae magis diluto utantur partim, partim ſaturatioris ſorbitionem, cum pinguiorum uſu alimentorum coniungentes, omne, quod imminet, arbarceant detrimentum. Quae perlepido, KAEMPFERVS (h) exemplo mariti ſtrigoſi confirmat, qui a coniuge, eiuſdem quippe ob impotentiam pertaeſa, carnes pinguiores cum ſaturatiore infuſo theae, ſcopo accelerandi mortem, accipiens,

(f) De Morbis internis lib. 1. cap. 27.

(g) Amoen. exot. faſc. 3. obſ. 13. §. 10. p. 626.

(h) Lib. faſcic. obſ. & §. citat. p. 627. & 628.

accipiens, loco tabis atque interitus, cui feſtinanter accerſendo ſtudebat coniux, priſtinas cum uitalibus ſuccis uires recuperauit, ſaginamque contrahens, integra praeditus ualetudine, pancratice uixit,

XX. Vere igitur dicitur, quod contrariae uenenorum indolis combinatio, optimam ſuggerat medicinam. Quam ſententiam illi uidentur amplecti, qui opium, decantatum illud remedium anodynum, ac uenenum narcoticum, iam cum acidis, iam cum ſulphureis coniungentes, corrigere ſtudent. Dolorum anchora, IVNCKENIO (i) opium dicitur; Perſis opium, teſte KAEMPFERO, (k) eſt illa Poetarum Γαλήνη, Ηλάρη, Εὔδιος, id eſt, medicina animo ſerenitatem, hilaritatem & tranquillitatem afferens; opium, a THEOD. ZWINGERO (l) nepenthes Homeri, ac diuinum anodynorum, quo non detur praeſtantius praeſentioriſque medicamentum effectus, ad ſedandos dolores, procurandum ſomnum, ac tuendas uires, uocatur; medicinam opio deſtitutam, WILLIS (m) mancam mutilamque pronunciat; ac SYLVIVS (n) lubentius artis ſalutaris exercitio renunciare, quam opio carere maluit. Haec de ſpecificis anodynis ac hypnoticis opii uiribus perſuaſio tantopere nonnullorum medicorum animos occupauit ac faſcinauit, ut eodem promiſcue in quouis dolore & peruigilio uſi fuerint, atque adhuc hodie utantur, idque cum omnibus, ipſis etiam purgantibus coniungentes medicamentis, praeſcribant. Dantur ex aduerſo alii, qui uſum cum abuſu confundentes, commemoratum remedium, tanquam peſſimae uenenum qualitatis, plane repudiant ac damnant, & nonniſi ignis aliorumque additione medicamentorum correctum admittunt, duplicem illi adſcribendo facultatem, anodynam aliam, aliam narcoticam. Et haec quoque

(i) Chym. experim. quae in 4to, Francofurti ad Moenum 1701. prodiit. Part. 2. cap. 6. p. 442. (k) Lib. & faſcic. cit. obſ. 15. §. 2. p. 624. (l) in Cratonis Epiſtol. quae opera Scholtzii, Francofurti in 8uo prodierunt. lib. 1. p. 380. (m) Oper. quae apud Wetſtenium 1982. edita fuerunt, Pharmac. ration. Sect. 7. cap. 1. p. 112. & ſequ. (n) uid. Junckenii Chym. p. 444.

que est ratio, qua iidem permoti, crudi usu opii plane interdicto, monent, congrua opii praeparatione, narcoticam qualitatem ab anodyna separandam esse prius, quam in usum uocetur. Sed audiendus hic merito FRICCIVS, (o) qui perinde esse dicit, si quis in corrigendo opio occupatus uim eiusdem narcoticam, seruata uirtute anodyna, aufferre laboraret, ac si laterem lauare uellet, quia sublata narcotica qualitate, certissime etiam periret anodyna. Nec obstat, quod funesti ac perniciosissimi, ex crudi praescriptione opii, effectus obseruati fuerint, atque adhuc euenientes obseruentur, hoc enim non tam neglectae praeparationi, quam praepostero huius remedii, in casu minus congruo, abusui, ac medicorum imprudentiae atque ignorantiae tribuendum est, uti idem pariter ex intempestiua opiatorum desiderato praeparatorum modo praescriptione euenisse, atque euenire, multis edocti obseruationibus, quas RIDLINVS, (p) TILINGIVS, (q) & WILLIS, (r) afferunt, cognoscimus. Opii igitur uires, ex principiis, quibus constat, eruendae ac iudicandae. Crudum autem opium, acri atque amaricante sapore, graueolentique, papaueraceam redolente prosapiam odore, nos, si addamus obseruationes ac chymica experimenta, de salis uolatilis ac substantiae sulphureae, quibus opium abundat, praesentia, certos reddunt. Tantum igitur abest, ut opium, ex ueterum mente, frigidum existat uenenum, ut potius in generosiorum resoluentium classem remediorum, ob uolatilis copiam salis, quod possidet, sit referendum, uti pluribus WEPFFERVS, (s) WEDELIVS, (t) ac PITCARNIVS (u) demonstrarunt.

XXI. Licet uero haec omnino certa ac manifesta sint, nullus tamen affirmare uereor, quod eadem sola, ad uires, quas exserit opium, diuersas, explicandas, non sufficiant; grauis enim, quem in opio, mandragora, hyosoyamo, aduertimus, odor,

(o) tract. qui Vlmae 1701. in quarto prodiit, de uirtute uenenorum medica cap. 15. p. 286. (p) Cur. Med. Millen. Cent. 9. obs. 51. p. 59. (q) de Laudano Opiato p. 103. (r) Pharmac. ration. Part. 1. p. 292. (s) Lib. de Apoplexia p. 252. (t) Opiologia lib. 1. Sect. 1. cap. 11. (u) Differt. 6. §. 8. & 13. p. 109 & 118.

ſatis nos docet, praeter ſal uolatile, narcoticum in opio oleum, maſſamque uiſcidiorem ac pinguiorem excedere. Quod exinde quoque perfacili cognoſci ac demonſtrari poteſt negotio, quia incommoda ab opiatorum uſu excitata, reſoluentibus, nempe ſale uolatili oleoſo Syluii, ex RIDLINI (x) methodo, omnium optime tolluntur. Haec quoque eſt cauſa, cur opium in ſubiectis uiſcida laborantibus dyſcraſia, ac quibus ſolida ſunt aridiora, perniciosum praeſtet effectum. Ac, ſi uis opii narcotica ſolummodo a uolatili dependet ſale, cur non idem peraeque alia ſalia uolatilia, uerbi gratia, ſuccini, cornu cerui, uiperarum, eadem adhibita quantitate, praeſtant. Vnde denique narcotica extracti, quod ex cortice chinae, uolatilis maximam partem experte ſalis, Hombergius parauit, uirtus, propoſitis acitato auctore confirmata experimentis, deducenda? Quantum igitur rationali coniectura, cum clinicis collata obſeruationibus, aſſequi licet, opium opiataque remedia intra corpus recepta, uolatilis ſubſidio ſalis, ſero ſanguinis ſoluti, quoſuis illico penetrant meatus, fluidaque reſoluendo, & ſolidorum robur intendendo, tenuioris partem limphae diſſipant, qua, una cum ſale uolatili, per cutis poros excreta, oleum narcoticum extrema obſtruens uaſa, neruei ſecretionem ſucci, eiuſque ad partes ſenſui motuique ſeruientes deriuationem, minuit, aut penitus cohibet. Haec narcotica opiatorum uirtus augetur, ſi, uti quibuſdam in more eſt poſitum, diſſipatis per ignem ſalibus uolatilibus, opium cum acidis, correctionis ergo, coniungitur. Ita praeparata opiata, eo minus, uti antecedentibus iam confirmaui, ſiccioris hominibus conſtitutionis, iiſque, qui craſſioribus ſuccis corpus refertum habent, conducunt, cum hinc ſolida magis extorreantur, contrahantur, maſſa ſanguinea tenui orbata ſero, & tenacior reddita, in extremis haerens uaſis plane ſtagnet. Acida igitur & toſtio, in opii praeparatione, omnino repudianda, crudumque huiuſmodi praeparatis opium praeferendum. Sufficiens praeterea, quo exoptatum, opii, uſu effectum aſſequamur, limphae & ſuccorum diluentium copia requiritur, optimum enim opioque ſoluendo accommodatiſſimum menſtruum aquoſa & uinoſa conſtituunt.

(x) Millen. cur. med. Cent. 9. obſ. 51. p. 280. & 282.

unt. Haec perſpiciens atque attendens BOERHAVIVS,(y) opii eſſentiam, ſimplicis ſubſidio aquae paratam, aliis praefert, eamque praeſtantiores, prae illa, obtinere uires, quae affuſo ſpiritu uini extrahitur, docet; eandem enim, cum ſpiritus uini reſinoſam opii partem nimis libere abſorbeat, nauſeae & torminibus anſam dare, FREINDIVS (z) annotauit. Loco aquae, quae debili minus conducit ſtomacho, ex commemorati conſilio FREINDII, (a) potius uinum Canarium & Xeroenſe, ad conficiendam opii eſſentiam, commendauerim, cuius ſalutarem praeſentiſſimaeque effectum operationis, in morbis, qui a tenuioris atque acrioris copia ſeri ortum ducebant, multoties expertus fui. Maximus uero rigor in praeſcribenda huius rememeidi doſi, obſeruandus eſt, licet enim quidam paullatim uſui opiatorum aſſueti, largiorem huius remedii copiam, ui conſuetudinis, aſſumere & ferre didicerint, licet Perſarum Turcarumque gens, quibus opii uſus maxime familiaris eſt, totam ſine noxa drachmam deglutiant, non tamen idem peraeque in Europaeis eodem inſtitui poteſt ſucceſſu. Nec in Turcis ſemper largior opii deglutitio exoptatum habuit euentum, longiori enim atque uberiori illius uſu ſolida extorreri, uires cum ſuccis proſterni, animum moeſtitia afflictum languere, ac totum corpus inſtar ſtipitis hebes ſtupidumque reddi, in multis, quibus hoc remedium in deliciis erat, KAEMPFERVS (b) obſeruauit. Regis Indiae filium, abuſu opii mentem memoriamque amiſiſſe, SCHNEIDERVS (c) commemorat. Aegroti FORESTVS (d) mentionem facit, qui dolore renum ex calculo laborans, accepto, ad demulcendos dolores, remedio opiato, profundo ſomno in mortem abeunte affectus fuit.

XXII. Haec omnia, quae de anodynis, hypnoticis & narcoticis opii opiatorumque uirtutibus tenus hac adduximus, ita comparata ſunt, ut ex iisdem abunde colligere & cognoſcere queamus, quod opium atque ex iisdem confecta medicamenta, nec ſpecificum tutumque ſemper paregoricum ac ſomniferum, multo

(y) Element. Chemiae Tom. 2. part. 1. proceſſ. 61. p. m. 206. (z) Praelect. Chym. 7. p. 72. (a) lib. et pag. cit. (b) lib. faſcic. cit obſ. 15. p. 645. (c) de Catarrho lib. 4. cap. 8. (d) Obſeruat. lib. 9 hiſt. 14.

minus antepilepticum atque antiſpaſmodicum conſtituant remedium, ſed in morborum ſaltem, quos tenuioris acrimonia atque abundantia ſeri excitauit, principio, uiribus adhuc integris, refracta, cum congruo uehiculo, doſi, adhibenda, in uiſcerum econtra obſtructionibus, ſuppreſſis ſolennibus ſecretionibus, aſthmate, hydrope, ſuffocatione hyſterica, acutarum ſtatu febrium, uiribus iam omnino exhauſtis, tanquam peſſima uenena, fugienda ſint. Longe maiorem cicuta, narcoticum opio adhuc fortius uenenum, circumſpectionem exigit, quae chymicis examinata operationibus, largiorem ſalis uolatilis acrioris oleo inuoluti copiam praebens, remediis reſoluentibus penetrantioribus, ac uenenis erodentibus, ex WEPFFERI (e) ſententia accommodate annumeratur. Antiquiores medici adducta cicutae principia ignorantes, frigidam illius qualitatem immerito accuſabant, *τὸ κώνειον*, ſcribit IVLIVS POLLVX, (f) *κατὰ ψύξιν ἀναιρεῖ, ὥσπερ ὁ μανδραγόρας κατὰ καρηβαρίαν.* Ex eodem cicutam fundamento DIOSCORIDES (g) in lethalium claſſem uenenorum refert, *ἔστι δὲ κώνειον*, ſunt illius uerba, *τῶν φθαρτικῶν, διὰ ψύξιν ἀναιροῦν.* Ab hoc alterum dimanauit praeiudicium de cicutae antidoto, a meracioris hauſtu uini ſolum arceſſendo, *βοηθεῖται δὲ*, ait DIOSCORIDES, (h) *ἀκράτῳ.* Vinum pariter, citati ueneni antidotum eſſe, PLINIVS (i) perhibet, ſed idem uino potum certam nullaque auertendam methodo perniciem afferre, mox ſubiungit. Vinum econtra hic plane reprobat PLVTARCHVS, (k) & contra eiusdem, adhibita iam cicuta, utilitatem, acriter, ſequentibus uſus, diſputat: *Ἐὰν δὲ ὅτι τὸ κώνειον ἐπιπινόμενος ἰᾶσθαι δοκεῖ πολὺς ἄκρατος, οἴονται τοῦτο θερμότητος εἶναι τεκμήριον, ἡμεῖς ἂν φήσομεν ἀναστρέψαντες, ὅτι συγκραθὲν αὐτὸ τοῦτο, φάρμακον ἀνίατόν ἐστι, καὶ καθάπαξ ἀποκτείνει τοὺς πίνοντας· ὥς τε μηδὲν μᾶλλον εἶναι δοκεῖν τὸ ἀντιπράττον θερμὸν, ἢ τὸ συνεργεῖν ψυχρόν· εἰ δὲ μὴ ψυχρότητι τὸ κώνειον, οὐκ ἄλλῃ τινὶ φύσει, καὶ δυνάμει μᾶλλον δεινόν ἐστιν ἀναιρεῖν τοὺς πίνοντας.* Diuerſas uero uini, poſt cicutae degluti-

(e) in Tract. de cicuta. aquatica (f) Onomaſtico lib. 5. cap. 27. ſegm. 132. (g) Oper. edit. cit. lib. de mat. med. 4. cap. 79. p. 276. (h) lib. cap. et pag. cit. (i) Hiſtor. Nat. quae apud Froben. Baſileae 1554. prodiit, lib. 25. cap. 13. p. 461. (k) Lib. 3. ſympoſ. quaeſt. quinta.

glutitionem exhibiti, uires atque operationem eſſe,arbitror, eiusque cauſam a uaria uini indole, uaria aegrotorum conſtitutione, ac tempore, quo propinatur, deducendam iudico, quod enim pinguioris ac meracioris uini uſus, ad acria, quibus uehementer uentriculus irritatur, ſalia implicanda conueniat, HIPPOCRATIS (l) docet obſeruatio, qui tradit, quod λιμὸν θώρηξις λύει. Ea prorſus ratione, uinum meracius, quale graecum, acria, quibus cicuta abundat, ſalia implicando, modo tempeſtiue adhibeatur, uentriculum totumque genus neruoſum, a uehementi, quae hinc imminet, irritatione,ac conuulſiuorum inſultu motuum, liberat ac defendit. Tam ſalutaris uero effectus non peraeque expectandus, ſi iam inflammatio occupans uiſcera, ſanguinem ſimul affectum nimisque reſolutum demonſtrat; tum enim, aucta nimis ſolidorum in fluida actione humores magis magisque diſſoluentur, iique maiorem contrahentes acrimoniam,praeſentia exaſperabunt nouaque accerſent ſymptomata.

XXIII. Pro abſoluto et tota ſua ſubſtantia hominibus inimico ueneno, Cicuta a multis habetur. Cicuta quoque, uenenum eſt, inquit PLINIVS, (m) publica Athenienſium poena inuiſa. Socratis hoc ueneno interemti hiſtoria ab omnibus celebratur Philoſophis. Grauia deliria ex radicis cicutae, petroſelini loco per errorem adhibitae eſu, in duobus monachis, ATHANAS. KIRCHERVS, (n) conuulſiones a cicuta, comeſta in pueris puellisque, WEPFFERVS, (o) ac plura alia exinde orta mala, mortemque ipſam IOH. SCHENCKIVS (p) obſeruarunt atque annotarunt. Tantopere hinc cicuta BONETO, (q) DAN. LVDOVICI, (r) FRID. HOFFMANNO, (s) ac multis aliis exoſa ſuſpectaque fuit, ut illius, tanquam ueneni, angue peioris, uſum auerſantes, plane damnarint. Verum enim uero, tutiſſimum remedium, abuſus uitio, fit uenenum, quidni idem exſpectandum eſſe cenſetis, a promiſcua generoſi-

 orum

(l) Lib. aphoriſmorum, ſect. 2. §. 21. (m) Hiſtor. Nat. edit. lib. cap. & p. citat. (n) Scrutinio peſtis p. 204. (o de Cicuta aquat. cap. 22. (p) Lib. obſeru. med. 7. hiſt. 138. (q) Mercur. compitalit. lib. 19. ſylloge, de anodyn. narcot. §. 9. (r) Pharmac. modern diſſert. de anodynis (s) Claue in Schroederi Pharmaciam lib. 4. ſect. 1. §. 109.

orum medicamentorum praeſcriptione ? Cuiuis enim huius herbae uſus haud ſuadendus , nec facile eiusdem commendanda deglutitio, multo minus largior concedenda quantitas ; minor uero doſis in hydropico, qui integra poſſidet uiſcera ac uaſa, exoptato non deſtituetur fructu, unde a PLINIO (t) cicuta, uenenum,ad multa uſus non omittendi conducens, uocatur. Nec fide dignum, cicutam, quae aliis animantibus tot tantaque affert emolumenta, ſoli humanae naturae tantopere infeſtam infenſamque eſſe ; capras enim, cicutae uſu pingueſcere , LVCRETIVS (u) hiſce confirmat : quippe uideri licet, pingueſcere ſaepe cicuta barbigeras pecudes. Anum Atticam , *τριάκοντα ὁλκὰς κωνείου ἀκινδύνως προσφερομένην* , hoc eſt, triginta cicutae drachmas ſine damno aſſumſiſſe, SEXTVS EMPIRICVS (x) refert. Vberiorem huius hiſtoriae explicationem in ſequentibus Suidae uerbis inuenimus : *ἐνίοις οὐδὲ τὰ φύσει δοκοῦντα φθαρτικὰ σιτία καὶ δηλητήρια φάρμακα προσενεγκαμένοις ἐφάνη λυπηρά· φασὶ γρατὴν Αττικὴν γυναῖκα τοῦ κωνείου, καθάπερ λαχάνων ἐσθίειν.* Idem, de eadem foemina cicutae eſu ſuſtentata, GALENVS (y) refert. Sturnos praeterea eadem ueſci ac nutriri herba, hiſce citatus modo auctor indicat : *ὡς οὖν ἡ θριδακίνη φθάσασα μὲν ἀποψύξαι τὴν καρδίαν , ἀναιρεῖ, πεφθεῖσα δὲ τροφὴ γίνεται τοῦ ζώου, κατὰ τὸν αὐτὸν οἶμαι τρόπον, καὶ τὸ κώνειον ἄνθρωπον μὲν ἀναιρεῖ, τῷ φθάνειν, ψᾶρας δὲ τρέφει, τῷ βραδύνειν. Αναιρεῖσι δὲ οὐδὲ ἄνθρωπον, ἂν ὀλίγον ληφθείη. Καὶ τοῦτό καὶ ἡ Αττικὴ γραῦς ἔδειξιν, ἧς ἅπαντες μνημονεύουσιν, ἐπ᾽, ἐλαχίστου μὲν ἀρξαμένου κωνείου, προελθοῦσα δὲ ἀλυπῶς ἐπὶ πλῆθος ἱκανὸν· ἐξ ἀρχῆς μὲν ἐνικήθη τὸ βραχὺ δι᾽ αὐτὴν τὴν ὀλιγότητα, τῷ δὲ ἐθισμῷ σύμφυτον ἐγένετο.* Plura ſane in citatis Galeni uerbis notatu digniſſima occurrunt, quorum praecipua ſunt, quod primum exiguam cicutae quantitatem admittat, eamque deinceps auctam, nullum detrimentum afferre, exiſtimet. Huius ſententiae ueritatem ac certitudinem alii iam ex antiquis agnouerunt medicis, quos alii ex recentioribus ſecuti fuerunt. Cicutam ita, in uteri morbis, HIPPOCRATES (z) commendat

(t) lib. loc. cit. (u) lib. 5. in Opera quae Lipſ. 1718. in fol. prodierunt, lib. 1. cap. 14. p. 22. et. 23. (y) lib. 3. ſimplic, cap, 18. (z) Oper. quae in fol. cum Oecon. Foeſii Geneuae 1657. edita fuerunt. Tom. I.

dat, κώνειον, ſcribens, ὅσον τρισὶ δακτύλοισιν, ἐν ὕδατι δίδȣ πίνειν. Quem uero, qualemque uteri morbum, hic intelligat Hippocrates, non adeo manifeſte liquet, ut nullus dubitationi locus relinquatur; ἐὰν δὲ ἐς τὴν ὀσφῦν ὑςέραι ςηρίζȣσιν, ſunt Coi noſtri uerba, quibus morbi cauſam ſtatumque deſcribit, in quo cicutae tantum, quantum tribus digitis capitur, ex aqua bibendum, praeſcribit. Citata Hippocratis uerba, nec FRICCIVS, (z) nec BODAEVS A STAPEL, (a) uidentur inſpexiſſe atque examinaſſe, quorum hic cicutam, ad uteri expurgationem, ille uero ad nimium menſium & lochiorum fluxum cohibendum, fuiſſe ordinatam, exiſtimat. Hippocratis ueſtigiis, uti iam indicaui, alii ex antiquis ac recentioribus inhaeſerunt. In tuſſi & haemoptyſi cicutae ſemen noxium a PLINIO (b) dictum, GALENVS (c) laudat. Cicutam ab antiquis medicis in colica paſſione praeſcriptam fuiſſe, GALENO (d) pariter teſte, cognoſcimus. Pulueriſatam cicutae maioris radicem, ſcrupuli pondere, in febribus malignis & quartanis, exhibitam, omnibus diaphoreticis antecellere, ex Boylei obſeruatione, RAIVS (e) & WEPFFERVS (f) referunt. Foeminae porro quinquagenariae Batauae hiſtoriam, allegatus modo WEPFFERVS, (g) ex Fontani deſumtam conſiliis, affert, quae laudano opiato ad profligandas uigilias incaſſum adhibito, acetario cum pauculo cicutae ſuauem feliciſſime ſomnum procurauit. Binis aegrotis, alteri, radicis cicutae drachmas duas, in decocto, alteri, eiuſdem radicis umbra exſiccatae ſcrupulos duos, uino infuſos, infuſumque hinc paratum, cum liberius profluente ſudore & lotio, hiſque ſuccedente meliore rerum facie, RENEALMVS (h) exhibuit. Eodem, felici nempe ſucceſſu, allegatus modo Medicus, (i) radicem cicutae pulueriſatam interne, ſcrupuli pondere, infuſi uero forma, ad duas drachmas, in pertinaciſſimis lienis, hepatis, pancreatis, atque aliorum uiſcerum obſtructionibus ac ſcirrhis prae-

ſect. 5. lib. de natura mulier. p. 572. (z) lib. citat. cap. 18. p. 327. (a) in Comment. ad Theophraſti Ereſii hiſt. plant. ed. cit. lib. 9. cap. 17. p. 1146. (b) lib. loc. cit. (c) de compoſ. med. ſecundum loca lib. 7. cap. 4. (d) Tract. cit. lib. 9. cap. 4. (e) hiſt. plant. lib. 9. cap. 8. (f) Ephem. N. C. D. 2. A. 6. in fine ſcholii obſ. 116. (g) tract. de Cicuta aquat. p. 39. & 40. (h) lib. obſ. 3. & 4. (i) lib. et obſ. citatis.

praescripsit. Ipsemet cognitum perspectumque habeo medicum, qui cicutae extracto frequenter, cum exoptato euentu, in ascitis cura usus fuit. Tutior adhuc & praestantior est externus cicutae, resoluendi scopo, adhibitae, usus. Ad strumas scrophulasque dissoluendas, emplastrum e cicuta Hildani, THEODOR. ZWINGERVS, (k) & emplastrum ex Gummi ammoniaco in succo cynosbatos & cicutae soluto paratum MAYERNE (l) commendat. Praestantius remedium, ad scirrhos resoluendos, succo cicutae non dari, IOANNES AGRICOLA tradit, Silentio iam transeo emplastrum e cicuta confectum, quod sub splenetici titulo, in officinis prostat, atque ad duros lienis tumores dissoluendos laudatur. Nec iam attingo, quantas in doloribus arthriticis sedandis, ac tophis resoluendis, cicutae uires MAYERNE, (m) ad experientiam prouocans, tribuat, sed contentus cognitione acrioris salis, atque ab eodem dependentis uirtutis resoluentis penetrantioris, huic remedio, inhaerentis, arbitror, idem non nisi in parcissima quantitate, in subiectis seri abundantia ac solidorum laxitate laborantibus, nunquam uero in siccioribus, qui succos acriores ac solida aridiora & magis elastica possident, esse adhibendum.

XXIV. Qua igitur deliberatione, quo iure, quaque iniuria, sic dicta bezoardica ac theriacalia, spiritus nempe bezoardicus Bussii, sal uolatile oleosum Syluii, aliaque similis indolis remedia, ad profliganda, quae cicutae abusus induxit, mala, praescribantur, ex rationali cicutae cum adductorum principiis antidotorum collatae examine haud obscurum esse potest, ignem enim igni adiicientes, quid aliud, quam certissimam perniciem expectare possumus? Simili plane modo inhaerens cicutae acrimonia, eiusque deleteria uis, accedente spirituosorum usu, intenditur, serosis ac gelatinosis minuenda atque infringenda uehiculis. Res quippe pluribus dudum euicta experimentis est, quod uenena acria, aqua diluta, optima in congruo statu remedia constituant, quae econtra effrenem, spiritu uini soluta, uirulen-

(k) p. 458. Lit. A. tit. Hals-Kropff (l) Prax. lib. 1. cap. 19. p. 134. (m) tractat. 3. de arthritide.

uirulentiam acquirunt, eamque, grauissima accersendo symptomata, manifestant. Nec saltem huiusmodi menstrua, acribus addita uenenis, uim nocendi augent atque exasperant, sed iisdem quoque tuta ac grata omnino medicamenta in periculosa mutantur uenena. Manifestum certumque in lauroceraso habemus exemplum, cuius duo quatuorue folia duabus lactis libris indita ac cocta, & gratum, dulcibus simillimum amygdalis saporem, conciliant, & uiscidam lactis materiam attenuando, saluberrimum corpori nutrimentum ac medicamentum praebent. Eadem ex aduerso folia cum spiritu uini sociata, si ex iisdem, digestionis ac destillationis beneficio, uel essentiam, uel ita dictam uitae aquam, conficias, praesentissimi uenenum effectus, uti historiae publicis ante aliquot annos relationibus insertae docent, suppeditant. Cum uero mihi has historias examinanti quaedam adhuc dubia remanerent, uariis institutis experimentis, de huius rei certitudine exploranda ac detegenda fui sollicitus; primum laurocerasi folia masticans, subamarum & leniter adstringentem aduerti saporem, relicto praeterea in ore sensu ariditatis ac siccitatis; decoctum deinceps ex duabus lactis libris tribusque laurocerasi foliis parans, idem iucundo praeditum sapore ac uentriculo gratum deprehendi; adiiciens demum huic decocto adhuc quatuor de dictis folia, coctione de nouo instituta, eaque longius protracta, dulcis loco saporis, amarum eumque nauseosum obseruaui; conficiebam denique ex sufficienti foliorum laurocerasi & spiritus uini quantitate essentiam, quam odore, aquae uitae, *Persicum* dictae, simillimam, sapore uero longe acriorem, inueni; hac tandem, unciae dimidiae dosi, cani per os infusa, animal illud anhelans, atque ab uno ad alterum latus titubans, exerta lingua, rabidi instar, discurrebat, ac mox in terram concidens atque obrigescens, peribat. Eodem deinceps sectione aperto, totum gulae, oesophagi, ac uentriculi tractum inflammatum, succos condensatos, ac solidas partes, ea, uti in tetano contingit, ratione maxime rigidas & contractas reperi.

XXV. Plura alia adhuc ex amarorum classe remediorum, quibus uirtus resoluendi roborandique tribuitur, occurrunt, quae, uel largius, uel in statu minus conuenienti, uel a subiectis, quibus ob ἰδιοσυγκρασίαν infesta sunt, assumta, tetanum, carum, lethargum, produxerunt. Prae ceteris hic commemorandae amygdale amarae, quae uirtutis attenuantis atque aperientis praestantia insignes ac satis notae, in

dyſuria, calculo renum, obſtructione hepatis, atque aliis morbis a feroſa colluuie dependentibus, a DIOSCORIDE, (n) CRANIO, (o) & multis aliis commendantur. Longe praeſtantiores amaris uires amygdalis, quam dulcibus, DIOSCORIDES (p) tribuit, ἡ δὲ γλυκεῖα, ait idem, καὶ ἐδώδιμος ἀμυγδαλὴ, κατὰ πολὺ ἧσσόν ἐστι πρὸς ἐνέργειαν τῆς πικρᾶς. Inter uirtutes uero, quas amygdalae amarae, prae dulcibus, obtinent, hypnotica illis atque anodyna a citato auctore adſcribitur, ἀμύγδαλα δὲ ἐσθιόμενά ἐστιν ἀνώδυνα, κοιλίας μαλακτικά, ὑπνωτικά, amaras nempe amygdalas commeſtas, dolores adimere, aluum emollire, ac ſomnum procurare, DIOSCORIDES (q) ſcribit. Oleum ex amaris expreſſum amygdalis, cum deſiderato fructu atque effectu, in colicae cura paſſionis CRANIVS (r) dedit. Sunt praeterea alii ex antiquorum ac recentiorum medicorum cohorte, qui amaras ad praecauendam ebrietatem amygdalas, pro certiſſimo ſubſidio habent ac uenditant, in quorum numero ſaepe adductus DIOSCORIDES (s) reperitur, qui ἀμύγδαλα ἀμέθυσα προλαμβανόμενα ὅσον πέντε ἢ ἕξ, pronunciat. Ex eodem ſua deſumſit auctor Γεωπονικῶν, (t) qui idem, ad abarcendam crapulam, conſilium dat, idemque, eadem doſi, remedium praeſcribit; οἶνον πολὺν πίνοντα μὴ μεθύσκεσθαι, quo nempe ex multi deglutitione uini, aliquis ebrietatis expers permaneat, haec idem tibi commendat, πνεύμονα αἴγιον ὀπτήσας ἔσθιε, ἢ ἀμύγδαλα πικρὰ νῆστις φάγε πέντε ἢ ἕξ, ἢ κράμβην ὠμὴν προέσθιε, καὶ οὐ μεθύσκῃ. Quo plures uero obſeruationes, commemorati amararum uſui amygdalarum ſuccedentis effectus teſtes proſtant, eo minus de huius in dictis fructibus reſidentis uirtutis praeſentia dubitandum. Quemadmodum autem eandem facultatem illis non prorſus denegandam, ita nec promiſcue concedendam eſſe, arbitramur; in ſubiectis enim ſolidorum laxitate atque atonia, & ſeri abundantia laborantibus, amygdalae amarae, flaccidiores irritando partes, languentem exſuſcitant motum, humorumque per uniuerſum corpus progreſſum adiuuant, & dehinc abundantis copiam ſeri, per auctas lotii, ſudoris, aliaſque ſecretiones, minuendo, iuſtam, quae inter ſolida ac fluida debet adeſſe, proportionem tuentur, tuendoque illam, ingruenti ex potus ingurgitatione ebrietati remoras iniiciunt. Proſunt ita

(n) Oper. lib. de mat. med. I. cap. 176. p. 83. (o) in Not. ad Prax. med. Regii p. 542. (p) lib. cap. & p. cit. (q) loc. cit. (r) loc. cit. (s) loc. cit. (t) lib. & edit. cit. p. 202. & 203.

ita amygdalae amarae huiusmodi, quorum naturam modo explicauimus, ſubiectis, idem uero iidem fructus in ſiccioris & bilioſae hominibus conſtitutionis minime praeſtabunt, potius alienos plane ab antecedentibus effectus hinc reſultantes deprehendemus, nam in iisdem amygdale amarae comeſtae, ſolidorum fluidorumque motum & attritum intendendo, non abarcendae, ſed accelerandae ſeruiunt ebrietati, & loco emolumenti, quod ab iisdem ſperamus, nauſea, uomitus, cardialgia, colica, animi deliquium, aliaque grauiora excitantur ſymptomata. Studioſi recordor, qui ad conuiuium inuitatus, quo ſtrenui munere heluonis rite fungi poſſet, non ante uini ſaltem aliorumque deglutitionem potulentorum, ſed inter hauſta quoque hauriendaque pocula, aliquot amaras comedens amygdalas, illico, trunci inſtar, ac ſi deleterium accepiſſet uenenum, obriguit, & hinc in lectum deportatus agitatusque, largiorem humoris acrioris atque urentis, uti aiebat, reiecit copiam, cui deinceps atrociſſima atque acutiſſima paſſio cholerica ſucceſſit, qua per duos dies miſere excruciatus, difficillimo negotio, indefeſſi cura medici, denuo conualuit. Noui pariter Iureconſultum, qui, dum mercatoris, bona ſua creditoribus relinquentis, merces examinarentur, aſſumtis aliquot, uentriculum roborandi ergo, ex barbae tonſoris conſilio, amygdalis amaris, uertigine, nauſea, uomitu, ac uehementiſſimis torminibus affectus fuit. Similem ex harum amygdalarum paſtillis, qui ſub nomine *macronum* uenduntur, effectum, in puero animaduerti atque annotaui.

XXVI. Non minus igitur allegati fructus hominibus, quam auibus, uulpeculis, ac catellis, quos horum uſu perimi, notiſſimum eſt, infeſti ac noxii, abuſus culpa ſunt atque euadunt. Eandem, nec aliam cauſam, examinantes mala, quae nux uomica excitauit, accuſandam eſſe, iudico. Non quidem ueterum ſcito omnino ſubſcribendum puto, qui ſpecificam uirtutem alexipharmacam huic nuci tribuentes, eandem ad electuarii de ouo dicti, ac pro praecipuo peſtis antidoto habiti compoſitionem adhibeant. Nec BARTOLETI (u) ſententiam meam facio, qui diſcrepantem ſubiectorum conſtitutionem haud diſtinguens, laetam eiusdem uſu ſtupiditatem conciliari perhibet, ita, ut hinc hilares & liberales redditi omnia reuelent, atque ad quaeuis perficienda ſe

(u) Vid. Boeclerus in notis ad Cynoſuram mater. medicae Hermanni Part. 1. cap. 5. p. 338.

promtos paratosque exhibeant. Multo minus ad Medicorum Scaphusensium castra transeo, qui ad experientiam prouocantes asserunt, (x) quod nux uomica non uirulentae tantum gonorrhaeae praesens sit remedium, sed in febribus etiam tuto praescribatur. Vti uero ab his, tum nimium nuci uomicae tribuentibus, tum particulare cum uniuersali confundentibus, iure meritoque dissentio, ita nec peraeque illis in omnibus assensum praebeo, qui nucem uomicam, ut absolutum uenenum narcoticum, e foro medico penitus proscribunt. Est utique drasticum, nux uomica, remedium, uomitum atque alui deiectionem maxima concitans uehementia; interimuntur eadem exhibita canes ac feles; eandem, duarum pondere drachmarum assumtam, homini quoque lethalem esse, lubens TABERNAEMONTANO (y) concedo; nec alienus sum a WEDELII (z) mente, monentis, ut in dubiis mitiorem ac tutiorem sequamur uiam. Sed quis tam stupidi ingenii, tam blenni bardique iudicii, ut exinde mox remedium aliquod plane reiiciendum ducat, quia forte, quia uehemens, quia in statu minus accommodato, aut largiori, quam decet, quantitate adhibitum, multa atque atrocia symptomata, ipsamque accersiuit mortem? Distingue usus uirtutes atque emolumenta a uitiis ac detrimentis, quae affert abusus, ac perpende, quod necessaria semper inter morbi causam, ac remedium huic opponendum, sit proportio; si fortior igitur causa grauiorem accersens morbum, fortiori eadem subigenda ac remouenda medicamento, praecipue ubi periculum est in mora. Quomodo igitur uitium nuci uomicae, cuius usu plures a febri tertiana liberatos uidit WEDELIVS, (a) quod, alio a foemina malefica exhibito ueneno, commissum fuit, imputari potest. Minime uero promiscuus huius remedii usus, quo redditur uenenum, approbandus; nam nux uomica, nec specificum anodynum, nec febrifugum est, sed illis saltem atrocioris infirmitatibus genii medetur, quarum essentia & causa in uiscidioris accumulatione massae, lenioribus non remouenda remediis, consistit. Innumeris ita experimentis, salutarem illius nucis usum, usu electuarii de ouo dicti, quod ingreditur, constare, BONETVS (b) testatur. Eiusdem electuarii

ad

(x) uid. Koenigius Mat. Med. Regn. Veget. Sect. 4. p. 938. (y) Herbario p. 650. (z) Amoen. mat. med. lib. 2. Sect. 2. cap. 4. §. 7. p. 337. (a) lib. & loc. cit. (b) Mercur. compitalit. lib. 19. de alexipharm. cap. 27.

ad Maximilianum relati utilitatem, in peſtis cura, MINDERERVS (c) maxime praedicat. Sui conſeruationem eidem in acceptum eſſe referendam, WEPFFERVS (d) fatetur. Alii ex nucis uomicae drachma una, & ſufficienti uini abſinthii quantitate, infuſum, magnarum ad quartanae extirpationem febris uirium, teſte HARTMANNO, (e) pararunt. Non paucos ex plebe, uomicae partem nucis, magno ſuo commodo, ad eliciendum ſudorem, deuoraſſe, MINDERERVS (f) commemorat. Nucem uomicam radici gentianae ſociatam, cum exoptato contra quartanam febrem ſucceſſu, praeſcriptam fuiſſe, Ephemerides Naturae Curioſorum (g) confirmant. In tertiana, ſudoris promouendi ergo, idem remedium cum aliis prudenter iunctum, ante paroxyſmum, non ſine fructu, MAYERNE (h) praeſcripſit. Taceo iam emeticum Nicolai, ad cuius compoſitionem, teſte WECKERO, (i) nux uomica adhibetur; taceo decocta uulneraria, aliaque remedia, quorum ex nucibus confectorum uberiorem FRICCIVS (k) catalogum affert; omnia enim in eo conueniunt, quod uirtutem reſoluentem ac ſtimulantem, eamque nunc maiorem, nunc minorem poſſideant, quam ueteres, neglecto exactiori examine, pro uirulentia neruis inimica habebant.

XXVII. Mirandum certe, quod plures medici, remediis una eademque, licet diuerſo gradu, principia obtinentibus, diſcrepantes plane tribuerint uirtutes, draſticorum claſſi uenenorum alia, alia confortantium catalogo remediorum annumerantes. Quid enim nuci uomicae, ſi elementa, quibus conſtat, ſpectes, ſimilius, quam abſinthium? Cui uero praeſtantiores, quam abſinthio, uires neruinae, & cui maior ex aduerſo uirulentia neruis infeſta atque inimica, quam nuci uomicae, adſcribitur? Inſigne remedium, chyli ſeruiens correctioni, atque excitando promouendoque fauens appetitui, abſinthium a KOENIGIO (l) dicitur. Eandem herbam, polychreſtum BOECLERVS (m) remedium, aperiens, attenuans, incidens, anticachecticum, hepaticum, ſpleneticum, uerum bilis & ſanguinis condimentum, uiſce-

 ra

(c) tract. de Peſtilent, p. m. 217. (d) tract. de cicut. aquat. cap. 13. Schol. 2. (e) uid. Friccius lib. cit cap. 22. p. 377. (f) lib. cit. cap. 3. (g) Dec. 2. Ao. 2. obſ. 96. (h) tract. de febr. cap. 4. (i) Antidot. lib. 2. Sect. 21. p. 814. (k) lib. cit. cap. 22. p. 370. ad 393. (l) Mat. Med, Regn. Veget. Sect. 4. p. 708. (m) Lib. cit. Part. 1. cap. 6. p. 492.

ra roborans, uocatur. Ex IOH. FEHRII (n) mente, absinthium sudorem mouet, putredini atque ipsi pesti resistit, obesitatem minuit, foecunditatem parit, paralysi medetur, surditatem curat, hydropem tollit, arthitidem auffert, uermes necat, crapulam auertit, somnum inducit, nauseam, quae in mari nauigantibus familiaris, praecauet. Easdem & longe plures adhuc uirtutes in absinthii descriptione occupatus DIOSCORIDES, (o) enumerat, ἀψίνθιον, ait, δύναμιν ἔχει θερμαντικὴν, ϛυπτικὴν, πεπτικὴν, καὶ ἀποκαθαρτικὴν τῶν ἐνηρεικότων ϛομάχῳ καὶ κοιλίᾳ χολωδῶν· ἔϛι δὲ καὶ οὐρητικὸν, καὶ ἀκραίπαλον, προπινόμενον· καὶ πρὸς ἐμπνευματώσεις δὲ ἁρμόζει, καὶ κοιλίας καὶ ϛομάχου ἀλγήματα. Ad hepatis ac uentris inflammationes discutiendas, absinthium GALENVS (p) commendat, ac ponticum uulgari praeferens, hisce suam indicat sententiam: τὸ ποντικὸν ἀψίνθιον αἱρεῖσθαι, βέλτιόν ἐϛιν εἰς τὰς ἥπατος καὶ γαϛρὸς φλεγμονάς. Nihil uero magis miror, quam, quod huic herbae copioso ac penetrante sale uolatili oleoso ac fixo instructae specificam resistendi crapulae facultatem multi tribuant. Hac opinione, praeter DIOSCORIDEM, (q) prouti ex iam citatis uerbis patet, NONVM (r) quoque occupatum inuenio, qui de his absinthii uiribus, suam mentem sequentibus declarat: ἀμέθυϛα δὲ ἂν εἴη ταῦτα, ἀψίνθιον πρωὶ νῦϛιν πότιζε. Si uero hic aliquid absinthii ieiuno stomacho adhibiti usus praestat, idem saltem in subiecto mere phlegmatico, eadem, uti amararum occasione amygdalarum, explicatum, ratione, perficiet, alias autem absinthium, haud ultimum, inter ea, quae ebrietatem ac stupiditatem celerrime inducunt, locum sibi uendicat. Minor certe uini quantitas, cui absinthium inditum, longe citius ac facilius crapulam adducet, quam largior ac duplo maior uini simplicis purique copia. Ac pessima sane illorum hominum est consuetudo, qui lupuli loco, uel una cum lupulo, largiorem absinthii quantitatem, cereuisiae coquendae, uel iam coctae, addunt, & hac methodo, potum maxime ac cito inebriantem, frequentem intensioris cephalalgiae, ophthalmiae, stupiditatis, amentiae atque

(n) tract. de hirapicra, seu analectis de Absinthio. (o) Oper. ed. cit. lib. 3. cap. 26. p. 183. (p) de simplic. facultat. lib. 11. cap. 16. (q) Libr. loc. cit. (r) Lib. qui graece & latine de omnium particularium morborum curationibus prodiit in 8uo Argentorati 1568. cap. 15. περὶ ἀμεθύϛων p. 19.

que apoplexiae auctorem, conficiunt. Ad apoplexiam inducendam, absinthii abusum aptum esse, WEDELIVS (s) aliorum fultus experientia, annotauit. Hoc ipsemet ingenue fateri teneor, quod modico cereuisiae absinthio adulteratae usu, multa aliquando incommoda, ignorans primum eorum originem, perceperim, quae omnia, alia adhibita cereuisia, euanescebant. Plura adhuc grauioraque, extracto essentiaque absinthii accersita symptomata in multis obseruaui aegrotis, uulgi enim ab antiquissimis recepta temporibus consuetudo est, ut, ingruente quodam affectu, prostrato appetitu, languente solidorum robore, aut apparentibus quibusdam febris prodromis, illico ad absinthii & absinthiacorum usum confugiant. Praeterlapso praesentis anni mense Iunio, nuncium ad me mittebat aegrotus, medicinam sedandae siti, delendo aestui, ac remouendo parem peruigilio, de quibus ualde querebatur, desiderans; examinatis, quae hic attendendae erant, circumstantiis, dum sollicitus in horum symptomatum originem inquiro, percipiebam, quod aeger tertiana laborans febri in criticam inciderit diarrhoeam, ad quam una cum febre extirpandam, absinthii extractum largiore adhibens quantitate, summa uirium prostratione, intolerabili aestu, anxietate atque alui constipatione affectus fuerit, & iam tertium, a quo ita se habuerit, diem esse. Absinthio, si salis sulphurei atque acrioris copiam, & ab eodem resultantem uim narcoticam respicias, certe non inferior, superior potius, Scarlaea, quam & Horminum dicunt; eadem enim graueolenti ac penetrantissimo, quam spirat, odore, neruos uehementer irritando, caput maxime turbat. Egomet, quoties scarlaeae odorem hausi, toties mihi capitis dolorem, uertiginem, & somnolentiam accersiui. Belgis ex eodem fundamento haec herba maxime exosa est, praecipue cum cereuisia cocta, quia amentiae, teste experientia, ansam dedit, unde quoque Belgarum prouerbium: *Bier mit Scarley, Macht de Boer bley.* Lupulus easdem cum allegatis modo herbis habet uires, sed remissiores; lupulus cum lacte coctus atque dolenti applicatus parti, mollit, mulcet, resoluit; cocta uero cum cereuisia eidem tum fragrantiam & saporem amarum, tum uim inebriandi conciliat, hinc cereuisiae quo uberiori lupuli copia impraegnatae, eo magis excitandae ebrietati, ac generando somno fauent.

XXIIX

(s) Amoen. mat. medic. lib. 1. Sect. 3. cap. 6. p. 163.

XXIIX. Vnum hoc etiam atque etiam dicendum & monendum, quod cereuisiae his aliisque similibus largius saturatae, uel adulteratae herbis, uerbi gratia, myrto palustri, aut althaea lutea Theoprasti, frequentem febrium continuarum aliorumque morborum causam constituant, quae mala, eo uberiori, ab huiusmodi deglutitione potulentorum, segete, propullulabunt, quo magis Nicotiana simul herba abutamur, quae haud ultimum, inter anodyna ac narcotica, remedium ac uenenum existit. Nicotiana, petum quoque dicta, sale uolatili fixoque acerrimo, ac substantia sulphurea pinguiore, a quibus uis resoluens, purgans, anodyna, ac hypnotica deducenda, abundat. In frequentissimo usu est accensorum fumus foliorum, accommodatae ore receptus atque iterum reiectus fistulae ministerio, quo excedens uiscidorum humorum massa, per irritatos ductus glandulasque saliuales, excernitur, ita, ut praestantissima morborum a seri copia & uiscidităte solidorumque laxitate prouenientium medicina, modo modus in eius usu obseruetur, merito nuncupari queat. Nobile ita & praestantissimum Nicotianae remedium, uiscida attenuans, superfluam limpham euacuans, partes uulneratas consolidans, exulceratas impuroque obsessas tabo abstergens ac mundificans, si congrua adhibeas ratione; pessimum ex aduerso & pestilens plane uenenum detestando ac perpetuo redditur abusu, lethargum, tetanum, apoplexiam, hecticam accersens. Dependent igitur tum uirtutes, tum uitia nicotianae, a uaria eiusdem applicatione, praeparatione, uarioque, quo eadem utimur, modo; eadem enim minime pro panacea, quia multis profuit, reputanda, nec ob perniciem & mala, quae plures sibi illius abusu conciliarunt, plane, tanquam atrocissimum uenenum, reiicienda. Oleum nicotianae destillatum, sanguini iniectum, praesentaneam, VIGANO, (t) FRANC. REDI, (u) & HARDERO, (x) testibus, mortem infert. Infusum, decoctum, puluis & succus, ore assumta, per superiora atque inferiora uiscidarum colluuiem cruditatum euacuant. Succus ulceribus fistulosis immissus egregie mundificat & consolidat. Nicotianae cum sacharo sociatae decoctum, & illius fumus, ad uomicam empyematicorum rumpendam, mirae remedium efficaciae, ab EPIPHAN. FERDINANDO (y) dicitur,

(t) Chym. p. 36. (u) in Experimentis circa res diuersas naturales p. 13. & sequ. it. p. 54. (x) in Apiario obs. 1. usque ad 7. (y) Histor. med. mirab. obs. 32. & 45.

dicitur, & salutaris illius effectus adductis confirmatur historiis. Non omnibus uero huius herbae usus promiscue commendandus; siccioribus plane non conducit, in iis quippe serum non abundat, sed deficit, cui resoluendo euacuandoque petum seruit, hinc in huiusmodi subiectis omnia eius usu corrumpuntur, destruuntur. Nec eadem proficua censenda in morbis, quorum ratio formalis, in alcalini copia salis, aut biliosae excessu materiae, nimiaque humorum tenuitate ac resolutione consistit. Clauam econtra Herculeam, morbis, qui a uiscido, extirpandis, sufficientem, petum constituit. Mirabilia sunt, scribit ZACVTVS LVSITANVS, (z) quae de nicotianae emolumento referunt auctores, praesertim Monardus & Clusius, sed mirabilius est, quod de eius efficacia, pro debellanda epilepsia, expertus sum. Plures natu grandes uidi, quibus plurima auxilia, nec cauteria in capitis ambitu aperta, diuque seruata, opitulari potuerunt, imo malo in peius ingrauescente, uitam cum morte commutassent, accessionibus saeuissimis epilepticis prehensi, nisi hoc excellens, aut, ut melius loquar, antidotum praestantissimum, tantum malum extinxisset. Simili felici successu, in curanda epilepsia, peto, clysmatis forma, HANNEMANNVS (a) usus fuit. Syrupo de Peto in commemorati medela morbi maximam pariter uim tribuit RIVERIVS, (b) eundem uero, quia uehementissimum est remedium, nonnisi a prudenti medico usurpandum esse, monet.

XXIX. Certum quoque est, quod foliorum nicotianae fumus, in hominibus, quos frequenter catarrhi, ex seri prouenientes abundantia ac uisciditate, diuexant, plurimum, ad prosperae defensionem ualetudinis, conferat. Meliorem autem hinc effectum expectare possumus, si huius herbae fumum consueta haurientes methodo, simpliciorem potum, tenuiorem nempe cereuisiam, paullatim parciori sorbeamus quantitate, omnibus spirituosis, uino scilicet generoso, aquis uitae, quae nimiam humorum resolutionem, aestum, ebrietatem pariunt, repudiatis. Duplici

(z) de medicam. princip. lib. 29. obs. 23. (a) Ephemerid. nat. Cur. Dec. 2. Ao. 3. obs. 51. (b) Lib. 1. Prax. cap. 8.

u ero ratione,doloribus uigiliisque petum ſuccurrit, radicalem altera, altera palliatiuam praeſtans curationem. Radicalem doloris ac peruigilii, a limpha abundante ac craſſiore prognatorum medelam, tum reſoluendo,tum euacuando, palliatiuam uero, in aliis a contraria cauſa ortis infirmitatibus, ebrietatem generando, perficit. Hunc in finem, ebrietatem ſcilicet accelerandi, dolorisque perceptionem impediendi ergo, nonnulli ex imprudentum turba medicorum, uinum generoſius, aliaque potulenta ſpirituoſa, una cum herbae nicotianae fumo, commendant, prouocantes ad IVLII CAPITOLINI hiſtoriam, qui de Imperatore Maximino refert, eundem, a Senatu, tanquam Romani hoſtem populi, delatum, in uehementem incidiſſe maniam, nec alio eandem auxilio potuiſſe aufferri, quam ebrietate, cuius ſubſidio naturalis ſomnus, ſomnique beneficio, priſtina mentis tranquillitas fuerit reſtituta. Aſt circumſtantiis, quae in hac hiſtoria occurrunt, rite perpenſis, nullum ebrietas, ſed ſufficiens accommodati potus quantitas,locum inuenit. Potus certe, ſi ſit congruus, plus omnino, quam plurium remediorum farrago, quibus ſaepe mirum in modum miſeri torquentur aegroti, praeſtat, atque optimum morborum, doloris, & peruigilii auxilium eſt; ebrietas econtra, potulentorum concitata abuſu, praeſentis perceptionem doloris impediendo, nouam, grauiori atque acerbiori, cum diſcuſſa, apparenti, ebrietate, materiam fomitemque praebet. Non ſine ratione hinc dixi, quod accommodatum potulentum, ſufficienti hauſtum quantitate, optimum conſtituat auxilium anodynum ac hypnoticum. Reſpice aegrotum, gelatinoſis exhauſtum ſuccis, quam bene idem ſeſe ex diluentis uſu potus habebit, quam tranquillo fruetur ſomno. Siſte tibi porro hominem, pituitoſa laborantem dyſcraſia, uariisque exinde pectoris uentriculique afflictum incommodis, quanta idem, ex meracioris poculis uini, emolumenta percipiet, quam ſuauis membra dolore & uigiliis fatigata feſſaque quies occupabit & recreabit. In altero igitur caſu, cum PINDARO *ἄριστον μὲν ὕδωρ*, hoc eſt, aquam, eaque, quae ad illius naturam proxime accedunt, optima pronunciamus anodyna & hypnotica; in altero uero, *οἶνος, κακῶν ἀντίδοτον, καὶ*

ἀγαθὸν

ἀγαθὸν μέγιςον, uino nempe illam, de qua nobis hic ſermo eſt, uirtutem, cum Philoſopho Graeco, adiudicamus.

XXX. Maximum uero inter aquas, nec leue inter tot uinorum genera, maius adhuc inter tam uariae cereuiſias naturae diſcrimen intercedit. Hic illis, ille his, ordinarii loco potus, ad ſuccorum perſpiratione aliisque ſecretionibus perditorum & diſſipatorum reſtaurationem, quotidie utitur. Omni igitur diſpiciendum atque annitendum cura, ut congruum ſeligentes, ac ſufficienti haurientes quantitate potum, quamcunque doloris & uigiliarum cauſam a nobis prudenter abarcendo, naturalem, ordinario tempore, ſomnum, ac reliquas corporis mentisque functiones promoueamus, & ſanitatem qūam diutiſſime ſartam tectamque conſeruemus. Optimus in his magiſter, uſus tibi erit, indicans, quid fugiendum, quid faciendum ſit. Adeoque, ſi ex aquae potu bene te habes, eandem, nec aliud conſtanter adhibe potulentum; ſi tibi ex aduerſo uinum conducit, & eodem tibi tuaeque ualetudini conſulas, neceſſe erit. Nec facile ea mutes, quae tibi profuerunt, neque inanis illa perſuaſio te occupet, quod omnibus peraeque hominibus, ſomnum inducendi, doloresque ſedandi fine, uinum conueniat, uel, quod in hoc illoue uini genere ſpecifica uirtus tonica, anodyna, ac hypnotica haereat, pertinaces enim uinum uigilias aliis, aliis ſoporoſos, idem, affectus, ipſamque apoplexiam accerſiuit; moſellanum aliis, aliis rhenanum profuit; dulce aliis, aliis acidum opem tulit. Quemadmodum uero inter cereuiſias eae, quae uberiori lupuli, aut aliarum herbarum amararum quantitate ſunt ſaturatae, magis ſomno generando fauent, ita quoque uinum, quo pinguius, quo maiori ſalis & ſulphuris copia inſtructum, eo praeſtantius in phlegmaticis eſt tonicum, anodynum, atque hypnoticum remedium. Dehinc quoque uinum, ex uite iuxta herbas narcoticas plantata paratum, magis ſe uirtute paregorica & ſomnifera commendat, quale eſt uinum, mandragorae elementis imbutum, cui facultatem hypnoticam, PLVTARCHVS (c) tribuit,

(c) Libr. de audiendis Poetis.

ὁ μανδραγόρας, ſcribens, ταῖς ἀμπέλοις παραφυόμενος καὶ διαδιδοὺς τὴν δύναμιν εἰς τὸν ὄινον μαλακωτέραν ποιεῖ τὴν καταφορὰν τοῖς πίνουσιν. Nouit & hanc mandragorae uino additae uirtutem Hannibal, qui, teſte IVLIO FRONTINO, (d) miſſus a Carthaginenſibus aduerſus rebellantes Aphros, cum ſciret, gentem eſſe auidam uini, magnum eius modum mandragora permiſcuit, cuius inter uenenum & ſoporem media uis eſt. Tunc praelio leui commiſſo, ex induſtria ceſſit; nocte deinde intempeſta, relictis intra caſtra quibusdam ſarcinis, & omni uino infecto, fugam ſimulauit, quumque Barbari, occupatis caſtris, in gaudium effuſi medicatum merum auide hauſiſſent, atque in defunctorum modum ſtrati iacerent, reuerſus cepit eos ac trucidauit.

XXXI. Similis omnino mandragora naturae, cum opio, hyoſcyamo, ac ſolano, exiſtit, & debito adhibita modo, dolori uigiliisque remouendis ſeruit, illius autem interne adhibitae abuſum ſopor & delirium ſequuntur. A multis mandragora, tanquam ſpecificum aphrodiſiacum, ac ſterilitatis remedium, laudatur. Satis etiam notae ſunt fabulae aniles, quae de magica radicis mandragorae uirtute narrantur. Certiori fundamento DIOSCORIDIS (e) nititur ſententia, qui, praeter alias uirtutes, hypnoticam mandragorae adiudicans, hiſce utitur: τὰ δὲ μῆλα μανδραγόρου ὀσφραινόμενα, καὶ ἐσθιόμενα, καρωτικά, καὶ ὁ ἐξ αὐτῶν χυλός. Atque idem, (f) paulo ante, de alio pomorum mandragorae genere, ſcribit, iisdem iucunde cum grauitate quadam olentibus, ſi mandantur, paſtores quodammodo ſoporari. De ſe ipſo LEVINVS LEMNIVS (g) refert, quod ex ſuſpenſis in ſuo muſeo mandragorae pomis, adeo ſomnolentus fuerit redditus, ut aegre ſomnum excutere potuerit, & quum omnibus obluctans uiribus difficulter idem obtinuerit, nec ſufficientem tanti ueterni cauſam inuenerit, ſe tandem quaquauerſum oculos dirigentem, a tergo pomum mandragorae aduer-

(d) Libr. Stratagemat. 2. (e) Oper lib. de mat. med. 4. cap. 76. p. 274. (f) lib. & cap. cit. p. 273. (g) de herbar. biblic. explicatione cap. 2. p. 7.

aduertisse, quo remoto, pristina corporis mentisque alacritas redierit. Variis haec mandragorae uirtus prouerbiis ansam dedit; mandragoram ita bibisse dicuntur, qui adeo stupidi, desides, ac fere omni honoris sensu destituti, ut excitari nequeant, cum contrarium de contrariae hominibus indolis pronuncietur; ου φανεῖται, scribit IVLIANVS CAESAR, (h) πολὺν πάνυ μανδραγόραν ἐκπεπωκώς; Sic & DEMOSTHENES, (i) gentis suae stupiditatem & segnitiem increpans, haec affert: ἀλλ' οὐδὲ ἀνεγερθῆναι δυνάμεθα, ἀλλὰ μανδραγόραν πεπωκόσιν, ἤ τί φάρμακον ἄλλο τοιοῦτο ἐοίκαμεν ἀνθρώποις. Cum uero mandragora ab aliis, nempe GALENO, (k) DIOSCORIDE, (l) THEOPHRASTO PARACELSO, (m) laudetur, atque ad multas & grauiores infirmitates curandas, praescribatur, ab aliis econtra, BONETO (n) scilicet, DAN. LVDOVICI, (o) culpetur, eiusque usus plane repudietur, meliorem & tutiorem, se ex his difficultatibus extricandi, uiam non inuenio, quam, si relicto auctoritatis praeiudicio, rationem atque experientiam sequentes, internum externumque mandragorae usum, eadem dosi, eodem uehiculo, iisdem cautelis, quas in opii explicatione, cum quo paria facit, suppeditauimus, admittamus, omnem autem, omni modo, abusum reprobemus.

XXXII. Male quoque audiunt, & magis adhuc narcoticae metu uirulentiae exosa sunt diuersa solanorum genera, inter quae, solanum maniacum, Graecis στρύχνον dictum, pro pessimo habetur ueneno. Idem utique, atrociorum auctor malorum, quae SCHENCKIVS, (p) & WEPFFERVS (q) annotarunt, persaepe fuit. Idem uenenum, intra uiscera copiose admissum, funestam, anno millesimo sexcentesimo septuagesimo, die Augusti trigesimo primo, Neostadii ad Cocharum, Wur-

 tember-

(h) in Epistola ad Calixenem. (i) Orat. Philippica quarta (k) lib. 7. de compos. medic. sec. loca cap. 5. (l) lib. & loc. cit. (m) uid. Friccius lib. cit. cap. 19. p. 345. & 346. (n) Mercur. compitalit. lib. 19. Sylloge de anod. §. 9. (o) Dissertat. 1. de anod. (p) Lib. obs. 7. obs. 8. & 9. (q) tr. de Cic. aquat. cap. 17.

tembergensis oppido ducatus, stragem edidit, quam FABER (r) uberius peculiari descripsit libro. Haec autem non solani ipsius, sed abusus esse uitia, historia Ephemeridibus Naturae Curiosorum (s) inserta, confirmat, indicans, dysenteriam, subsidio infusi ex uino & solani baccis parati, curatam fuisse. His illustrandis & corroborandis apprime fauent DIOSCORIDIS (t) uerba, qui uarios, quos solani radix diuerso assumta pondere, producit, effectus enarrans, hunc in modum de illius uiribus disserit: *δύναμιν δὲ ἔχει ἡ ῥίζα πινομένη μετ᾽ οἴνου < ά πλῆθος, φαντασίας ἀποτελεῖν, οὐκ ἀηδεῖς· δύο δὲ < ποθεῖσαι, ἐξιστάνουσιν ἄχρι τριῶν ἡμερῶν. τέσσαρες δὲ ποθεῖσαι, καὶ ἀναιροῦσιν.* Solano maniaco lenius illud est, quod *ὑπνωτικὸν* DIOSCORIDES (u) appellat, perhibens, illius succum remediis, quae ad dolorem mulcendum praescribuntur, admisceri, & huius radicis corticem in uino coctum, si ore detineatur, doloribus dentium succurrere. Eidem cortici uirtutem somniferam, ast ea, quae in opio residet, adhuc remissiorem, allegatus auctor uendicat, *ταύτης ὁ φλοιὸς τῆς ῥίζης ἐν οἴνῳ ποθεὶς < ὁλκὴ, ὑπνωτικὴν ἔχει δύναμιν τοῦ ὀποῦ τῆς μήκωνος ἐπιεικεστέραν.* Huic adiiciendum Dorycnium, quod parciori adhibitum dosi, somnum, largiori, mortem affert, *δοκεῖ δὲ τοῦτο,* scribit de eodem DIOSCORIDES, (x) *ὑπνωτικὸν εἶναι, πλεονασθὲν δὲ ἀναιρεῖν.* Eiusdem pariter cum solano uirtutis, forte etiam eiusdem generis herba fuit, quae in Parthorum regione, ab Antonii exercitu, prae fame, aliis obsoniis deficientibus, comesta, insaniam, obliuionem, lethargum & mortem, teste PLVTARCHO, (y) accersiuit. Huc etiam Solanum tetraphyllon, seu herba Paridis, pertinet, quae, dum colligitur, membrorum stupiditatem ac rigiditatem inducit. Moly, cuius meminit HOMERVS, (z) si uera fuit herba, pro specie solani merito habetur. Solanum quoque, uel similis herba, fuit, cuius succo uinum panesque contaminatos, Duncanus cum Suenone simulate de urbis

(r) peculiari tractatu de Strychnomania. (s) Dec. 2. Ao. 3. obs. 64. (t) Oper. lib. 4. cap. 74. p. 272. (u) Lib. cit. cap. 73. p. 272. (x) lib. cit. cap. 75. p. 273. (y) in Vita Antonii. (z) Odyss. lib. 10.

bis Scotiae Bertham, quam Sueno obſidebat, deditione agens, in caſtra obſidentium, ſub amicitiae ſpecie, miſit, milites deinde hoc cibo potuque ebrios, ſomnoque profundo oppreſſos, uti BVCHANANVS (a) narrat, interficiens. His accenſenda pariter Datura, quae & ſomnum, & amentiam, pro uaria, qua adhibetur doſi, & diſcrepante, cui exhibetur, conſtitutione, generat.

XXXIII. Commemoratis anodynis & narcoticis addo iam hyoſcyamum, non contemnendae remedia uirtutis ſuppeditans, inter quae, ſemina a multis, repudiato radicum uſu, approbantur. Hyoſcyamus analyſi chymica examinatus magnam ſalis & olei penetrantioris, copiam, non ſecus ac opium, praebet, relicto, poſt deſtillationem, in uaſis fundo, tum oleo craſſiore & foetido, tum ſubſtantia terrea ac uiſcida. Tria hyoſcyami genera, DIOSCORIDES (b) commemorat, duo, utpote deleteria, reiiciens, tertio ſaltem ad medicinam faciendam, laudato: *ἀμφότεροι δὲ οὗτοι μανιώδεις ὑπάρχουσι καὶ καρωτικοὶ, δύχρυστοι· εὔχρυστος δὲ εἰς θεραπείαν, ἠπιώτατος ὢν ὁ τρίτος, λιπαρὸς καὶ ἁπαλὸς καὶ χνοώδης, ἄνθη λευκὰ ἔχων, καὶ τὸ σπέρμα λευκόν.* Hac ratione, ex Dioſcoridis ſententia, hyoſcyamus albos ferens flores, ac ſimilis ſemina obtinens coloris, inter medicamenta ſaltem locum habet; cui quoque GALENVS (c) aſſentitur, qui iisdem fere uerbis, in explicandis hyoſcyami gegeribus ac uirtutibus occupatus, utitur. Ab allegatis auctoribus (d) ſuccus ex tuſis expreſſus ſeminibus, foliis, & caulibus, item ſemina, folia, ac radices, uario praeparata & cum aliis ſociata modo, tam interne, quam externe, ad catarrhorum, tuſſis, inflammationis, fluoris albi, haemorrhagiae, podagrae, odontalgiae, aliorumque remotionem dolorum, commendantur. In febris quartanae cura, ſi poſt repetitas primarum uiarum expurgationes, non aufferatur, HIPPOCRATES, (e) hyoſcyami ſemen, milii magnitudine, cum aequali mandragorae parte, laſeris ſucco & trifolio

(a) Hiſtor. Scot. lib. 7. p. 61. (b) Oper. lib. 4. cap. 69. p. 269. & 270. (c) lib. 8. ſimplic. (d) lib. loc. cit. (e) Oper. edit. cit. Tom. 1. Sect. 5. de morb. mul. lib. 2. p. 474.

folio, in uino praeſcribit, ἢν δὲ μὴ ταῦτα ποιήσαντι, ſcribit Hippocrates, παύηται, διαλείπων δύο λήψιας, μετὰ τὴν κάτω κάθαρσιν, λούσας αὐτὸν πολλῷ θερμῷ, πίσον τοῦ καρποῦ τοῦ ὑοσκυάμου, ὅσον κέγγχρον, καὶ μανδραγόρου ἴσον, καὶ ὀποῦ τρεῖς κυάμους, καὶ τριφύλλου ἴσον, ἐν οἴνῳ ἀκρήτῳ πίνειν. Puluis ex haematitide, corallio, bolo, ſemine hyoſcyami, & papaueris, cum roſarum ſociatus conſerua, praeclarum ab HEVRNIO, (f) medicamentum, ad perficiendam haemoptyſeos curationem, dicitur. Succus hyoſcyami, teſte PLINIO, (g) ſanguinem exſcreantibus medetur. Potionem ex aquae hyoſcyami libris tribus, ac dimidia ſyrupi florum papaueris erratici & cydoniorum libra paratam, tam felici in epidemicae medela dyſenteriae ſucceſſu, ex medici rerum medico-chymicarum apprime gnari conſilio, CLAVDERVS (h) adhibuit, ut hinc effero humorum motu atque acrimonia temperata, ceſſarint uentris tormina, uireſque fuerint refocillatae. In nimio menſium fluxu hyoſcyami uſum IOH. MICHAELIS (i) laudat. Si praeterea euoluamus conſulamusque RIVERIVM, (k) PLATERVM, (l) DOLAEVM, (m) MERCVRIALEM, (n) MAYERNE, (o) PARAEVM, (p) plures alias, tam interne, quam externe adhibendorum remediorum formulas, quas hyoſcyamus ingreditur, & quae in multis morbis, ob ſalutarem, quem praeſtiterunt, effectum, magni aeſtimantur, inueniemus. Prae omnibus uero hic notanda, quae de externo hyoſcyami, ad ſedandos dolores, uſu WEPFFERVS habet, ſcribens, ab hyoſcyamo tam certum, ad mulcendos remouendosque dolores, remedium peti poſſe, ut quidam, quaſi diuino beneficio, ab illis fuerint liberati; & propterea hanc herbam, non ὑοσκύαμον, ſuum

(f) in Comment. ad aphor. Hippocr. qui in 12mo Lugd. Bat. 1638. prodiit, lib. 5. aphor. 13. §. 3. p. 353. (g) Hiſtor. Nat. lib. 26. cap. 8. (h) Miſcell. N. C. Dec. 2. A. 5. Obſeru. 377. p. m. 360. (i) in not. ad Schroederi Pharmac. cap. 37. (k) Prax. l. 7. cap. 6. (l) lib. 3. Obſeru. p. 744. & 745. (m) Encyclopaed. med. l. 2. c. 5. p. 270. (n) l. 1. de morb. puer. (o) Prax. l. 1. c. 7. p. m. 23. (p) Chir. l. 12. c. 18.

ſuum fabam, ſed Διοσκύαμον, Iouis fabam, appellandam eſſe, cenſuerint. Nullum igitur, ab hyoſcyami uſu, periculum, modo in minima quantitate, congrua methodo, tempore, praeparatione, conuenientibus ſubiectis, exhibeatur, expectandum; nec eſt, cur eius uſum, ETTMVLLERO, BONETO, SCHROEDERO, ſubſcribens, tantopere pertimeſcas, aut plane auerſeris, nam, quod promiſcua illius deglutitione, homines amentiam, uertiginem, ſpaſmum, apoplexiam, mortem, quales obſeruationes GODELMANNO,(q) BORELLO,(r) ALEXANDRINO, (s) SCHENCKIO, (t) annotatas inuenimus, ſibi accerſiuerint, non hyoſcyamo, ſed hominum hyoſcyamo abutentium temeritati imputandum.

XXXIV. Alias certe, ſi abuſus detrimenta cum uſus emolumentis confundere licet, optima quaeque ex foro medico medicamenta proſcribenda erunt. Proſcribendus ſane ex hoc fundamento eſſet crocus, cuius nimia quantitas, condimenti loco exhibita, mulieri, uti refert ZACVT. LVSITANVS, (u) mortem attulit, ac cuius effluuia, agaſonem & mercatoris famulum, SCHENCKIO, (x) & PETR. BORELLO, (y) teſtibus, interfecerunt. Manet nihiloſecius crocus, optima morborum a ſeroſa colluuie & ſolidorum laxitate propullulantium antidotus, meritoque in tali cauſa ſtatuque, philoſophorum aroma, pulmonum cordisque anima, & uentriculi balſamum uocatur. Idem de coriandri ſeminibus ferendum iudicium, quae rancida temporis mora atque iniuria reddita, aut largius aſſumta, capitis dolorem, oculorum caliginem, & demum inſaniam excitarunt, cum tamen eadem, recentia imprimis, tum ſola, & condita, tum panibus immixta, optimum condimentum, & medicamentum reſoluens conſtituant. Merito hic quoque ab imperitorum medicorum calumniis uindicandus cortex chinae, qui ſubiectis phlegmaticis, neglecta ſordium expurgatione,

G exhibitus,

(q) tr. de Magis, Venef. & Lam. l. 2. c. 4. p. 36. (r) Obſeruat. phyſ. medic. l. 4. hiſt. 5. (s) not. ad. c. 3. lib. Galeni, quod animi mores temperamentum corporis ſequantur. (t) Obſ. med. lib. 7. de ſem. obſ. 3. p. 853. & 854. (u) Prax. admir. l. 3. obſ. 144. (x) l. 7. Obſ. 147. (y) Cent. 4. Obſ. 35.

exhibitus, hydropem, uiſcerum obſtructionem, ſtupiditatem, amentiam, atque affectus ſoporoſos generauit, cum alii, congruo huius uſu, praemiſſis accommodatis euacuantibus, non ab intermittentibus ſaltem febribus, ſed aliis etiam morbis periodicis liberati fuerint. Quid iam dicam de cannabi, de coccula Indica, de lolio, quod, ob uirus ſuum, infelicis nomine ſatis notum eſt, omnia enim iſta & nocere, ſi promiſcue adhibeas, econtra uero prodeſſe, ſi congrua uſurpes ratione ac doſi, plures docent hiſtoriae.

XXXV. Eodem plane modo in diiudicandis anodynorum externorum uiribus procedendum. Euellatur ex hominum mentibus inanis, de lapide Buttleri, & anodyno uitrioli ſulphure, perſuaſio, quae ſolo attactu, quoſcunque dolores, ac quaſuis infirmitates dicuntur curare. Topica pariter, quae ſomni conciliandi, dolorisque ſedandi ergo, praeſcribuntur, non ſaltem cauſis atque origini morborum accommodata eſſe debent, ſed eadem etiam, nonniſi praemiſſis congruis remediis internis, ſi ab interna malum dependeat cauſa, adhibenda erunt. Maxima praecipue prudentia ac circumſpectio in topicorum, arthritidi, ſcabiei, aliisque exanthematibus dicatorum applicatione, neceſſaria eſt, hic enim, uel nulla adhibeantur remedia externa, aut eadem ſint aperientia; adhibitis alias adſtringentibus, obſtruentibus, critica materiae peccantis ſecretio ſufflaminatur, eaque intra corpus retenta ac coaceruata, grauiſſimis miſere excruciati aegroti ſymptomatibus repente e uiuorum ſurripiuntur numero. Maiori uero fiducia remedia anodyna externa, ſi ab externis morbus prognatus ſit cauſis, applicare poſſumus; ita dolor, quem aeris excitauit feruor, refrigerante & temperante abigetur epithemate; illum ex aduerſo, qui a frigore ortus fuit, remouebit frictio, ac calidorum & reſoluentium applicatio. Suum igitur cuique dandum, bonaque corporis conſtitutio, iis, quibus conſtat, defendenda, dolor uero, omniaque, quae humani integritatem corporis laedunt, accommodatis, hoc eſt, materiali morborum cauſae contrariis remediis, remouenda atque extirpanda ſunt.

) o (